ARAN & TITUS.
MUTUA VINDICATIO,

INTERPRETE

SCHOLA THIELANA.

Luditur ad diem . Februarii, Anno 1658.



THILAE,

Apud *Gosuinum à Duyn*, Bibliopol.

Anno cIↄ Iↄ c LVIII.

SENATUI THILANO.

GRandis Declamantium Oratio est; Heroica Poëtarum vox delectat omnes, qui perspicere atque intelligere res præclarissimas possunt; inter Poëtas omnes excellere videntur Tragici: non enim jam loquor de facetâ atque urbanâ Comicorum locutione, quâ, nescio quo vitio, ita placere his temporibus coepit, ut reperiantur, qui in Orationibus etiam ab ea non abstineant. Quotidiani sermones liberiores esse possunt, & inculti, grandis est Orator; mascula Poëtarum dictio est. Tragœdia majestatem aliquam continet, quam alibi frustra quæras. In Orationum & versuum compositionibus quotidiana Discipulorum exercitatio est; Tragoedias conficere, nec agere semper possunt: quare gaudent & exultant oblatâ nunc hâc occasione, quam à vestrâ benevolentiâ & benignitate accipiunt libenter, & rogant simul atque obtestantur, ut, quia solvendo non sunt, suâ aliquâ diligentiâ humanitatem vestram remunerare possint. Tragœdiam offerunt Discipulorum Optimi, quam interpretando fecerunt suam: quicquid enim à me limatum est, etsi meum videri possit, tamen cedo de possessione meâ, & ne alieni in patrimonium irrumpant, aut excludantur justo titulo Domini, Supremus Discipulorum meorum ordo Senatui Thielano *Mutuam* hanc *Vindicationem* officiosissimè

D. D.

Testor

J. van AELHUISEN,

Rector.

Prologus.
Saturninus Cæſar
Marcus Andronicus Frater Titi And.
Titus Andronicus Dux exercitus Rom.
Lucius Filius Titi natu maximus.
Polander. *Melanus.* *Claudillus.* *Gradamard.* } Filii Titi Andron.
Aſcanius. Filiolus Lucii.
Rozelina Filia Titi Andron.
Baßianus Frater Cæſaris.
Thamera Gothiæ Regina.
Quiro. *Demetrius.* } Filii Thameræ.

Aran. Æthiops Dux exercitus Gotth.
Aruſpex.
Quintus Famulus Aran.
Tacitus Nuntius.
Chorus { Romanorum. Aruſpicum. Gothorum. Fœminarum.

Mutæ Perſonæ.
Senatus.
Iudices.
Quatuor Tribuni militum.
Philippus.
Camillus.

PRO-

PROLOGUS.

Poëta, vestris qui laborat commodis,
Et nos gubernat, cum sua turbâ echolæ,
Meo salutat, quotquot estis, nomine,
Matres, Virosque, Virginum mites choros,
Puerosque adultos. Cum triumpho cernimus
Coetum labores ore spectantem novos.
Aptant cothurnos, & Sophocleo sonant
Theatra versu. Roma non solito ciens
Clamore pompas, hoste postrato tumet.
Adusta fumat Gothia, & Ausoniam Titus
Quassat securim. Victor in Latium redit;
Occurrit omnis populus, & lætos videt
Lætus treumphos. Victa formoso nitet
Regina vultu; sequitur audax Æthiops,
Sacer Gradivo: vota sed frangunt precẽs
Et forma Thameræ; liberantur, Cæsare
Mandante, Capti. Vinctus Aran Principum
Fastidit iras; nunc solutus omnium
Quærit ruinas unus; interitum Tito
Clam, Machinator fraudis & scelerum, parat.
Venatur Aula. Bassianus occidit
Laqueo peremptus; zona ruptis frangitur
Lacerata vinclis; moestaque, & linguam, & manus
Truncata virgo est; ense confossi cadunt,
Par triste, Fratres; Fratribus Fratrum necem
Sceleratus Aran objicit: pretium mali
Eruitur aurum, falsa Cæsar literas
Indicia reperit; judicat; Fratres luunt,
Queis dexteram amputat, sed incassum, suam
Amor paternus; exulantem Lucium
Retinent Amici. Sperat afflictæ Titus

 Meliora

Meliora Stypi, repetit Auctores scelus:
Abreptus Aran igne funestum expuit,
Post mille scelera, spiritum, captus suo
Cum Fratre Quiro, cade votivâ cadit,
Impletque Matrem tostus, afflictam trahit
Roletina vitam, sed Pater ferro facit
Finem laborum & triumphat insolens,
Thamera occidente; vindicat Sponsæ necem,
Moriturus ipse, Cæsar; ira Lucium
Rapit furentem, sceptra mutato minus
Domino ingemiscunt; traditur fessis quies,
Moestis voluptas, imperî frænum bonis.
Hæc Belga doctis ludit audax versibus,
Mirante totâ Græciæ & . Latii scholâ.
Nos (nam fatendum est) Amstelæ sequimur decus
Interpretando. Si vacat (certe vacat)
Date tolerandis tempus exiguum jocis:
Nos obligati, quicquid in nobis situm est,
Humanitati pollicemur omnium.

A R A N

ARAN & TITUS.

ACTUS PRIMUS.

Saturninus, Marcus, Baßianus, Senatus. Cives Romani.

Sat. OElix triumphat Roma, fitque gentium
Superba victrix. Ecce, generosa Titus
Virtute victas hostium domat manus;
Latiumque patitur, bella qui crepuit, jugum.
Cives. Dux vivat! & fœlix fuis, & patriæ
Maneat superstes! *Sat.* Quanta vox attollitur!
Andronicus audit fortis, & toto Deus
Narratur Orbe; tollit illum nubibus,
Infertque Cælo fama; nobis Scipio
Resurgit alter; crescit hostium metus.

Titus Andronicus, Thamera, Quiro, Demetrius, Polander, Melanus, Claudillus, Gradamardus.

Tit. DIves triumphis Roma, virtutis domus,
Quæ Regio, quæ gens barbaro tuas solo
Laudes silebit? Urbs Quirini, prospero
Populos feroces fortis imperio premis,
Et cuncta superas, Romuli semper sacro
Stipata cœtu; summa votorum vides.
Aquilonis Arctoi plagas securiger
Pugnator intrat, & tui Martis furor.
Hanc dextram, & arma metuit, & qui frigidum
Septena Tanaim ora pandentem bibit;
Et qui renatum prorsus excipiens diem,
Tepidum rubenti Tigrim immiscet freto;
Et quæ vagos vicina prospiciens Scythas,
Ripam catervis ponticam viduis ferit.

Patriæ

Patriæ laborat dextra: fugientes ſequor,
Quo nota Baccho Tmolus attollit juga;
Quo dives Hebrus fertiles campos ſecat;
Quo Xanthus ambit, nivibus Idæis tumens,
Accepta Cereri Cargara, & ferax ſolum.
Hæc, hęc furentes dextra contudit Gothas;
Hanc Sarmatæ, Vocontii, & Volſci timent.
Virtute noſtrâ regna Boreali jacent
Subjecta Cauro. Tempus eſt, longæ dare
Modum ruinæ; & Principes Viros ſuę
Conſulere patriæ; parcere afflictis; ferâ
Cæde abſtinere. Læta pax gentes alat,
Enſeſque lateant; alma naſcatur quies,
Invicte bello, gentium Domitor, Jovi
Æquate ſummos ſæpe per honorum gradus,
Te Roma fortem, & ſera poſteritas canet.

Sat. Bellator audax, Roma victricem Ducis
Dextram oſculatur; efferunt læti tuos
Cives triumphos, verſibus laudes canunt,
Magnumque terræ nomen ignotę audiunt.

Tit. Tu præpotentum clara progenies Deûm,
Spes una nobis, patriæ fulcrum tuæ,
Timor Tyrannis, terror & crux hoſtibus;
Si longa Achivi bella Trojam transferunt
Per maria mille navibus; ſi transfugam
Repetit maritam, & arma bis quinis movet
Menelaus annis, quis laborem & prælia,
Quis maria timeat? luſtra quis fugiat duo,
Mercede tali? *Sat.* Per laborem & prælia,
Pavet animus. Quid, Victor, afferes? *Tit.* Quam vides,
Regina Gotthorum eſt. *Sat.* Quis ardentes tuos
Videat ocellos, nec det Idalio manus
Victas furori? ſentio, creſcit malum,
Imoſque in artus labitur præceps furor,
Et ardet intus; qualis Æthnęo vapor
Exundat antro. Solve formoſas manus.

Tit. En, hæc ruentis pulchra majeſtas ſoli eſt.

Regina,

Sat. Regina, mundi gloria, & magnum decus,
Tu grande ſemper audies miraculum,
Quod fecit, & feciſſe gaudet omnium
Rerum Architectrix; caſtitate pulchrior
Fit forma, vultu caſtitas creſcit tuo.
Si ſuave baſium ore mellifluo dares,
Roſeiſque labris labra palpares mea,
Volens per ipſas ſequerer abeuntem nives,
Oblitus Aulæ. Jure cunctos allicit
Venuſta facies; invidet Cypri Dea
Tuis ocellis; invidet Phœbi Soror
Tuis labellis. *Tham.* Comprime ardentem impetum.
Cito excitatus ignis extinguit cito
Suos furores. Floris inſtar eſt amor,
Quem Phœbus oriens vividum, ſed mox videt
Fugiens jacentem. *Sat.* Sic tuus miles jacet,
Et capta ſervis. *Tham.* Fateor, oppreſsit Gothos
Romana virtus; ſed magis nos obruit
Incenſa populi ſcelere non uno mei
Cæleſtis ira. Nos gravi ſemper jugo
Premet ſubactos Victor, ut pœnas Deo
Solvat merentes populus, & ſceptrum nocens.
His mota fatis, mente patienti feram,
Quodcunque mandas. Fortis ærumnâ gravi
Mentem levabit animus, invictus malis.
Quo plura patitur, plura patienter feret
Animoſa virtus. *Sat.* Talis, & talis fuit;
Sic flexit oculos, cui Venus quondam, viri
Commota precibus, ſpiritum & vitam dedit.
Simulata credis verba? dicentem proba:
Juvat Inferorum, fortis Alcidæ modo,
Videre triſtes, ſed tuo juſſu, domos,
Sine Sole regnum; ſentiat rurſus novum
Dominum profundi ſquallidus regni Canis.
Et pura nitidi ſpatia conſpiciat poli.
Si Sol coruſcum territus condit caput,
Negatque lucem, mox laboranti tuum

Succurret Orbi lumen. *Tham.* Utinam, quod putas,
Spetiosa jure dicar! at nunc, aspice,
Non corpus ornat forma, non fulgent genæ,
Nec famula nostras arte composuit comas.
Sat. Quod arte faciunt fœminæ, hoc tibi dedit
Natura; & iste, quo micat vultus, decor,
Innata forma est. Per Deos omnes tibi
Cœlumque juro, perque quas vibrat faces
Ferox Cupido, flamma me fervens coquit.
Tham. Adulationes audio nolens tuas,
Jurasque frustrà: nam procorum mobiles
Vis inquieti corripit voces Noti,
Et ipse tanto Jupiter gaudet dolo.
Sat. Quo tendis anime? nemo me comitem tibi
Eripiet unquam, frustrà maturas fugam;
Abire sine me non potes, mecum potes.
Sequi per ipsa saxa, per sylvas placet:
Ubi se Cupressus, & caput lętum exerens
Virente semper alligat trunco nemus,
Et opaca longas arbor extendit comas;
Dabitque sceptrum ramus, & sertum rosæ,
Cumulusque sedum. Non meum cinget latus
Assueta vulgi turba, sed teneræ Ducem
Oves sequentur; tunc, quod optamus, Viri,
Miserta, precibus forte succumbes meis.
Tham. Vix eloquentis lingua vitari potest.
Sat. Quod igne premimur, vultus hoc facit tuus.
Tham. Detestor omnes, horreo, fugio, execror,
Quas Diva Cypriæ spargit in mundo faces.
Sat. Virago dura, Caucasus tibi fuit
Truculenta nutrix? ubera admovit sua
Hyrcana Tygris? cur toro viduo jaces?
Et dum juventæ flore primœvo viges,
Temet coerces? & necans rectam indolem,
Servas pudorem, Venere desertâ, tuum?
Providit ille maximus mundi Parens,
Cum tam rapaces cerneret fati minas,

Ut

Ut damna ſemper ſobole repararet novâ.
Tauri juvencas diligunt; amat ſuam
Leo Leænam; Tygris in furias ruit
Sociata Tygri; Vulturi Vultur placet.
Venere incitantur, belluæ immanes, Apri;
Volando paſſer paſſerem ſequitur ſuum;
Arborque latis arborem ramis petit.
Quid plura memorem? vicit invictos amor,
Magnumque flammis torret indomitis Jovem;
Et qui furentes ſemper Æthneis jugis
Verſat caminos, igne tam parvo calet;
Facibuſque tactus Rector æquoreus fuit,
Nec ardor alto potuit extingui freto.
Mens intus ardet. Æſtuamus, urimur.
Tham. Libido mentem concitat turpis tuam.
Sat. Invita facies, facere quod ſponte abnuis;
Te noſtra cogent arma. Qui timide rogat,
Docet negare. *Tham.* Turpe, & impium eſt Duci,
Violare leges Venere non caſta ſuas.
Sed forte fauſto proſperæ ſortis ſtatu,
Nimium inſolenter cuncta permittis tibi.
Regi tuenda maxime eſt imperii ſalus.
Sat. Lex nulla ſceptrum cogit, aut Regi imperat.
Tham. Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor.
Minimum decet libere, cui multum licet.
Sat. Male imperatur, cum regit vulgus Duces.
Tham. Evertit enſis cuncta; cum jacet pudor,
Et cura legis. Semper excelſus ſuis
Nocere Princeps Civibus nefas putat,
Nec morte triſti quæritur Regum favor,
Sed obſequendo. Juſta lex patriam Duci,
Ducemque patriæ vinculo pari alligat.
Cave ne ſceleribus regias macules manus:
Sequitur nocentes ultor à tergo Deus.
Tit. Is te tuoſque ſequitur ad pœnam Deus.
Metuenda quondam Gothia, & fortis fuit;
Nunc victa nobis tempore exiguo jacet.

 Virtus

Tham. Virtus meorum ſpiritus Gothis dedit
Nimium feroces. *Tit.* Qui ſtruit dolos, parat
Sibi ipſe peſtem; repetit auctorem ſcelus.
Graviore lapſu decidit, quicquid nimis
Fortuna tollit; exitum talem tuæ
Fatentur urbes. Mole procumbit ſuâ,
Quodcunque magnum eſt. *Mar.* Mente cur torvâ abnuis?
Quam multa ſint timenda, ſi perſtas, vides:
Obſtare magnis nemo ſecurus poteſt.
Tham. Vaſtantur urbes. Labitur patriæ ſalus
Sub Rege pravo. *Sat.* Fluctuamus; urimur;
Rabiduſque noſtro proditur vultu furor.
Tit. Cruentus Aran ſanguine effuſo, ſacras
Conſperget aras, & Sacerdotes piâ
Devota Marti membra diſſolvent manu;
Sic mens futura pandet, & motu Dei
Completa, tantis ſtatuet in rebus modum.

Chorus Sacrificantium.

GRadive pater, qui bella tuo
Numine torques, deſine pulchræ
Nunc mirari colla Diones:
Tibi captivum cædimus hoſtem;
Sanguine fuſo noſtras Aran-
Victus ad aras, hoſtia Cœlo-
Mactata cadet.
Ille cruentas armare manus,
Et purpureâ potuit quondam
Tollere multos cęde Quirites;
Sed te juſtam vindice pœnam
Nunc, Andronico victore, dabit.

Aran. Tenete linguam, Aruſpices, mendax genus,
Interpretari fata falſo diſcitis,
Stygique deſtinatis innocens caput.
Vates cruenti! veſtra quantâ patriæ
Mercede conſtant ora! ſæpe Civium

Ve-

Vestrâ cruentus nascitur culpâ furor;
Metuuntque fasces; terret afflictam metus,
Fervente Mystâ, Curiam; leges silent,
Et sancta juris norma, si minus silet
Devota templo lingua: vobis scilicet
Fumant tot urbes, bella tot gentes gerunt,
Et versa ab imo regna tot populos premunt.
Tham. Quis iste? fallor? an meus, nuper meus
Stat vinctus Aran? ipse stat. Princeps Ducum,
Bellique salve fulmen *Aran.* Et tu Gothiæ
Regina salve. *Sat.* Qualis, aut unde advenis?
Aran. Me strictus armat mucro, te sceptrum decet,
Me gens Gothorum fulmen, & murum vocat;
Sum terror hosti, nomen afflicti meum
Metuunt Quirites. Fortis Aran, Romuli
Qui tot Nepotes Tartari misit Deo,
Coram adstat. *Sat.* Illum Mulciber flammis edat.
Aran. Mavortis ara sorbeat fusum bovis
Melius cruorem; pinguis occidat capra.
Tham. Invicte Princeps, & Quiritium decus,
Quid vota poscunt? fare quem pœnæ petant?
Eat per artus ensis exactus meos,
Et vivat Aran. Tu, Sacerdos, adjuva
Patrocinando. Loquere, placa Cæsarem.
Arm. Indignus aras tangit, & vittâ caput
Candente vestit, quem suo fletu movet
Lachrymans Amicus, nec movet Patriæ salus.
Tham. Quis Colchus hoc, quis sedis incertæ Scytha
Committat? aut quæ Caspium tangens mare
Gens juris expers ausa? non diri Thraces,
Nec trux Erynnis, ara nec Busiridis
Aspersit isto sanguinem ferox modo.
Quæ Tygris, aut Leæna, quis puero tibi
Admovit ubera Lupus? an te Caucasus,
Et inhospitales Alpium quondam nives
Glaciesque peperit? ecquid eloqueris? tuum
Defende, Mysta, si quid est, quod est, nefas.

Miſerere, Cæſar; Martio miſer foco
Devotus Aran liberas cernat manus.
Sat. Parere Marti, ſanguinem petit, decet.
Tham. Imbellis adſto; fœminas lachrymę tegunt,
Meà tela fletus. Quis furor te concitat?
Sat. Emiſſa verba non recurrunt. Permanet,
Quodcunque dictum eſt. Occidet Marti ſacer.
Arus. Submitte collum. *Aran.* Cæde noſtrâ te abſtine.
Arus. Homini execrandus vivit, ingratus Deo,
Devota per quem non cadit Cœlo hoſtia.
Tham. Quis ſic cruorem Maurus, aut ferus Scinis,
Aut quis Procuſtes ſparſit atrox? ferreus
Diruſque prima tela fecit Artifex;
Crudelior, quæ ſumpſit ad necem, manus!
Quiro. Conſpergat aras Quiro, noſtrum ſorbeat
Tellus cruorem. *Dem.* Fata placabit meus
Irata ſanguis. Hic vides Demetrium.
Tham. Me, me receptus ſternat enſis; vulneri
Patemus; intret ipſa ferrum viſcera.
Arus. Id fata volunt; dabitur Aran victima.
Aran. Te, Machinator fraudis, & ſcelerum Artifex,
Te Parca poſcit; ſtella cui Cœlo cadens,
Cui viſcerum ſecreta, cui mundi fragor
Dant ſigna fati; qui nigri ſedes Dei,
Acherontis undas fingis, & ſtygios lacus,
Canemque diras voce ſervantem fores.
Dolos, & aſtus maleficę mentis parat
Fallax Sacerdos, & metu falſo domat
Populi furores. Si timemus inferos,
Crudeliores Inferis ſunt Augures.
Vates timentur; hoſte contemto, metum
Infert Sacerdos. *Arus.* Sæva furiarum cohors
Vocem execratur! *Sat.* Si tuo licet frui
Regina vultu, vivet; & Mauro dabit
Tua forma vitam. *Tham.* Facile fallitur, Duci
Qui facile credit. *Sat.* Juro per ſceptri metum.
Tham. Rex magne Regum, quem cupis, dabitur Amor.

Quid

Sat. Quid mœsta dudum pedibus accumbis meis?
Regina, surge. *Aran.* Sceptrum & Imperium cadet,
Si mulier aras privat, & Marti datus
Eripitur Aran. *Sat.* Cypriæ placeo Deæ;
Cum Venere pariter colitur armorum Pater.
Tit. Roma obligata est. Murus hostium cadat.
Sat. Tœdas negabit, & sacri fœdus tori.
Tit. Tempus negantem vincet. *Sat.* Ardens vix potest,
Et rabida flecti flama. *Tit.* Si quæris, potest.
Cæsar, cavendum est, ne tuo miseram pares
Populo ruinam. *Sat.* Quas prius laudas faces,
Jam lingua carpit. *Tit.* Redde victimam Deo.
Tit. Opima nostri colla cædantur gregis.
Mar. Melior cruore bestiæ dabitur cruor.
Tit. Generose Princeps, una militum salus,
Quo mens aberrat? concidet nomen tuum,
Favorque vulgi; concidet Regni status
Amore tali. Sceptra bellator geris,
Multasque mittis sub tuum gentes jugum,
Urbique & orbi bellicosus imperas,
Hostemque bello territas. Metuit tuos
Boreas lacertos; vidit Eurus dirui
Sua Regna præceps; clade subversus jacet
Protervus Auster, hostium ferax solum;
Fortemque eandem sensit Africus manum.
Tu victor audax conciti murmur freti,
Rabiem charybdis, & procellosum mare
Bis navigâsti. Celsa discriptæ juga
Scandit Pyrenes, Gallicas pressit minas
Tua rara virtus. Sed cruentatos manu
Qui vicit hostes, victus & fractus jacet,
Vincente fœminâ; Cupido strenuum
Exarmat audax militem; & parvo rapit
Labore, magnum dextra quod peperit decus.
Aran. Adeste vires, sceleris ultrices, meæ!
Quid mucro cessas? perge, noxiam mihi
Linguam rescinde. *Tit.* Juro per belli minas,

Te

Pafsim per agros, nec ſuos meminit ſequi
Paſtor juventos. *Sat.* Surge, tela præpara,
Equeſtris ordo; vos viros neceſsitas,
Et grata noſtri poſcit imperii ſalus.

Chorus Romanorum.

Roma, non miti generata Marte,
Inclyti fulcrum Latii, tuorum
Dives Heroum, ſtudiiſque longi
Aſpera belli;
Contine tandem rabioſa diri
Bella Mavortis: ſua templa Janus
Claudat, & vinctus furor, ore caſſas
Fulminet flammas. Data pax amorem
Reddit, & frangens lituos, tubaſque,
(Arma Gradivi)
Arma Romano reparat Colono.
Dives infractis populus triumphis
Gaudeat victos numerare Gothos.
Si cantare juvat, vox melior decus,
Et magnas Thameræ delicias canat,
Cui mundi Dominus jus dedit & necis
Et vitæ; Latii qui bene temperat
Fortunam Imperii Cæſar, amabili
Stat victus Thamerâ; vulnera dat puer
Laſcivus Veneris, ſaucius uritur,
Exſurgitque calor, quem Dea comprimit,
Non ingrata Procis prælia dirigens,
Sanatque innumeris vulnera baſiis.
Cæſar magne, Quiritium,
Et noſtri decus Imperi,
Cui tot barbaricas manus
Submittunt populi; tuas
Quid laudes Venus inquinat?
An fortes etiam viros
Terrent arma Cupidinis?

An victrix dominabitur
Fucato mulier ſinu ?
O quanta eſt rabies amor !
Quam certo, puer aliger,
Arcu ſpicula dirigis !
Reges magnanimi cadunt,
Heroas furor occupat.
Sic lentis Leo carpitur
Debellatus amoribus,
Et ſe ſaucius exuit.

ACTUS SECUNDUS.

Quiro, Demetrius, Aran.

Quiro. NUnc hoſtis adſta. *Dem.* Caucaſus cedet prius,
Quam fugere quiſquam viderit Demetrium.
Quiro. Hoc enſe concides. *Dem.* Cadam, ſi nunc cado,
Roſelina, tuus. *Quiro.* Erectior poſt Virginis
Exurgo nomen. *Aran.* Oro per pulchros ſinus,
Veſtrumque amorem, grande Virginis decus,
Frangat furores, enſe compreſſo, ſuos
Audax juventus. Mœſta quondam ſorbuit
Horatiani Roma guttas ſanguinis;
Nunquam Gothorum Principes videat mori
Tam nigra dies. *Quiro.* Nunquam æquus eſt Rivalibus,
Si quis procatur; *Aran.* Neſcio qualis coquat
Amor furentes. Num jacent Titi manu
Stratæ tot Urbes ? Mortuus jacet Pater ?
Captique vitam trahitis ? exardet furor,
Sævitque Princeps læſus; æternas agit
Magnanimus iras animus, & ſævus dolor
Æterna bella, pace ſublatâ, gerit.
Amore famam, & nobilis ſtyrpem domus
Quid polluetis ? Forma ſi vultus placet,
Explete amorem; vindicate Patriam;
Stuprum ſuperbam polluat Titi domum.

Qui-

Dem. Quicunque peccat, ſcelere noſcitur ſuo,
Animumque cruciat triſte criminis malum.
Aran. Non eſt timendum grande, quod prodeſt, nefas.
Miſce tumultus Civium: ut fas, & fides,
Et jura pereant; odia, cædes, funera
Arceſſe, & imple ſcelere Romuleam domum;
Libido caſtam gaudeat Veſtam impiis
Violare ſtupris; ſimul & infauſtâ manus
Hominum cruenta cæde, furiali modo
Aſpergat aras; nullus irarum detur
Finis, ſed animum cæcus inſtiget furor;
Nec parce Patri, nec trucem revoca manum
A cæde Fratris; Uxor irato cadat
Proſtrata ferro; filius vi, vel dolo;
Aconita cuncti, qui tibi obſiſtunt, bibant;
Det thura populus; templa claudantur Deo,
Tibi ſtent aperta, & impius ſuum vocet.
Te Myſta numen proſperum ac fœlix ſcelus
Virtus vocatur. Perge, faciendum eſt malum:
Neceſsitas plus poſſe, quam pietas ſolet.
Quiro. Pavet animus; horret. *Aran.* Trudit ultorem in graves
Mens alta caſus; non ſatis magno tuum
Ardet furore pectus; impleri juvet
Majore monſtro. Sæpe Dîs placet malum.
Ignave Vindex! ſiccinè ex animo Patrum
Monimenta ponis? Quæſtibus vanis ages
Inultus iras? Corruat Divûm domus,
Pœnaſque victrix Roma, quas debet, luat.
Ubi animus errat? conſilia ſequi optimum eſt.
Quiro. Non eſt profectò rebus in malis via
Capienda præceps. *Aran.* Dum nihil fidit, graves
Curas revolvit animus, & repetit metus.
Omnes Diana abduxit, haud memores doli:
Nunc, nunc agendum eſt, magna nolentem ferè
Conſilia produnt, ſæpe qui tempus fugit
Bene collocatum, poſtea infœlix gemit.
Dem. At ſi nefandum detegit Virgo ſtuprum?

Ad-

Aran. Adversa populi fama Virginem jubet
Tacere honestam. *Dem.* Grande mihi malum tamen
Præsagit animus. *Aran.* Sic in Auctorem metus
Redibit iste : dum times hostem , tuo
Succumbis hosti. Cuncta sine metu aggredi
Juvenile decus est. *Quiro.* Mente nos cautâ rege:
Serum est cavendi tempus in mediis malis.
Aran. Segnem timores Principem lenti occupant.
Grave est inausa facere , fecisse est leve.
Per auspicatos Cæsaris multum licet
Sperare thalamos , fracta queîs stabunt Titi
Frustrà furentis odia. *Quiro.* Sed nobis favet.
Aran. Favisse credis , cum miser tetigi impias.
Desponsus aras ? Fronte fallaci levis
Blanditur Aula. Pectus infandum gerit ,
Nocetque blandâ peste , qui gratis suos
Vendit favores. Ergone vlcisci licet ?
Licet. Sed arte dira vis metum efficit:
Metus inde simulat: inde ab insidijs vacat
Mens cauta nunquam. Et prævidet quisquam dolos ?
Haud videat Argus. *Dem.* Quod jubet Titus, Patrum,
Templique vox est. *Aran.* Scisne fatidicos suis
Patres jacere viribus ? *Dem.* Facile tamen
Isto virorum genere certari haud puto.
Aran. Ne templa curent , quicquid aut mali , aut boni
Statuat tribunal; Fascibus vani Augures
Nunquam bene sociantur: aliâ Sanctitas,
Aliâ morari sede Majestas solet.
Reprimentur omnes, pertinax quorum furor
Armat Ministros Ædis in cædem meam.
Humana ad aras exta non petit Deus,
Nec vult Thyestes vina mutato bibat
Cruenta Baccho. *Quiro.* Testor infernam Styga;
Testor tremenda, & dira Furiarum agmina,
Te timeo, & odi. Scelera nostro à pectore
Pietas, timorque avertit. Ista non probat
Consilia Quiro. *Dem.* Quid manum impellis meam?

Mea

Mea dextra semper facinus hoc tantum tibi
Negat, & negabit. *Aran.* Fraude, & ingenio est opus.
Quiro. Gressus ad Aulam moveo. *Dem.* Me gratas juvat
Sequi puellas. *Aran.* Comprimor subito metu.
Adeste, adeste! mugit ex imo solum,
Hiatque tellus, & stat ante oculos Parens;
Non qualis ultro bella in Ausonios ferens,
Thuscas petebat facibus accensis rates:
Nec cæde vastâ qualis in Romam stetit;
Non ille vultus flammeum intendens jubar.
Quiro. Dic qualis ergo est? *Aran.* Fessus, & fletu gravis,
Cruentus, ater, squallidâ obtectus comâ.
Quiro. Quęnam ista res est? *Aran.* Cernitis Patris facem,
Quassamque Pinum? *Quiro.* Pectus attonitum stupet;
Atat quid hoc est? *Aran.* Hæret in vultu trucis
Imago spectri. *Dem.* Dic, quid est? locum indica.
Aran. Pergit, movetur. Fugio, me condat nemus.
Dem. Profare, tristis umbra quid jubeat Patris.
Quiro. Da jussa gnatis. *Dem.* Ecce Roselinam procul,
Gressus superbos, Comite cum proco movet.

Bassianus, Rozelina, Demetrius, Quiro.

Bass. QUam fulminantes ore spumanti minas
Aper evomebat! quàm cito cursu fugæ
Repetebat altum montis excelsi jugum!
Roze. Etiam paventi premeret audaces metu
Tam triste monstrum; siste jam gressus tuos,
Ne misera fiat ipse Venator truci
Rapina bruto. *Bass.* Casta te Venus jubet
Timere vitę non levi curâ meę.
Roz. Non nosco Venerem, nec suo collum jugo
Cupido pressit; castitas castę placet,
Et, qui redire, cum perit, nescit, pudor.
Animum virilem masculis Deus dedit,
Nobis timorem, Virgines semper timent.
Bass. Quid hoc? odoros audio Fratris canes,

Et irruentes incito cursu feras.

Roz. Repetamus atrum frondibus densis nemus.

Dem. En Bassiano [ferre quis posset?] suo
Se Virgo flecti patitur, & quidem pari
Amore flagrat. *Aran.* Iuro per manes tuos,
Tuamque mortem, concidet nostrâ Titus
Superatus hastâ. *Quiro.* Siste dementes minas,
Gradumque. *Aran.* Suasu nempe si facitis meo.

Quiro. Quid tristis affert umbra? *Aran.* Vindictam petit.

Quiro. Sunt ista Patris verba? *Aran.* Tandem squallidi
Emissus antro Tartari astabat Senex.
Et moesta solvit ora, sed levi sono.
Tandem severus corde prorumpit dolor,
Et complet aures voce furiali meas;
Ut incitati dira tempestas maris
Attingit undis littus. Attonitos tremor
Perculsit artus; crinis erectus stetit;
Terrorque pressit verba. Sic moesti Senis
Vox alta sonuit; si movet te servitus,
Et pressa patriæ Marte violento salus,
Nostrumque lethum, debitam mortem oppetat
Andronicus audax; filię cadat pudor;
Omnesque gnati spiritum inimicum expuant,
Telo perempti. Civitas quondam mea
Vidit nefandum regiæ cædis nefas,
Plagasque corpus ense violatum gerit.
Sic fatus, altâ nocte mutavit diem,
Repetens opacas Ditis invisi domos.

Quiro. Nostrum ne Patrem cœde funestâ, Titi
Scelerata stravit turba? defuncti necem
Hæc vindicabit dextra; sentiet meas
Roselina vires; ipse sit pręsens Procus.

Aran. Vindicta justa est; ante Sponsus occidet.

Dem. Dabit unda cervos, occulet pisces nemus
Si me vetabit quispiam ulcisci patrem
Adhuc inultum. *Aran.* Terei fiat nefas,
Pudore rapto, ne tuum tandem scelus

Puella

Puella memoret. *Quiro.* Facere quod ſermo nequit,
Hoc dextra faciet. *Aran.* Diſſecari ſed decet.
Quiro. Non facinus atrox, triſte, violentum poteſt
Prohibere cœptus anxiõ metu meos.
Aran. Tunc eſt probandum, cum tenet laudem, ſcelus.

Saturninus, Thamera, Titus, Aran, Marcus, Quiro, Demetrius.

Sat. QUo dira fugit bellua? aut ubi latet
Comitata natis Thamera? *Tham.* Cum ſuis tibi
Quam quæris aſtat. *Sat.* Clara Thymbræi Soror,
Dictynna Virgo, ſi meis clemens voles
Favere votis, cuſpide adverſâ feram
Nova ſponſa ſternet, imbuam victa tuum
Altare prædâ. *Aran.* Cæſar, Auſoniæ potens
Dominator Aulæ, quo ſequor feram loco?
Sat. Petivit iſtam canibus attonitus viam.
Tit. Properate Nati, cumque famulata manu
Huc ferte greſſum; rumpe jam, Luci, moras,
Cauteque teretes tende currenti plagas.
Mar. Vox Fratris aures occupat; venantium
Concuſſa vaſto Sylva completur ſono.
Sat. Diripite vincla canibus, & nodo gravi
Levate, Comites. *Baſ.* Magne Dux hunc tu locum
Adituſque ſerva fortis. *Lug.* Ad nos jam tuos
Reflecte curſus, iſta te vocat via.
Sat. Quæ cauſa tardat? quiſque ſe pugnę paret,
Et luſtret omnes nemoris umbroſi locos.

Thamera, Aran.

Tham. QUis, anime, tantus concitat mentem dolor?
Aran. O Mœcha fallax! juro per ſtygium ſpecus.
Tham. Det ira cauſam? *Aran.* O dire & impatiens dolor?
Simulata pectus abditum, & vagum geris.
Tham. Te ſupplici oro voce dimidium mei!

Aran. Hæc blandientis verba regali tibi
Desponsus Aula Cæsar audiat tuus.
Qui te sub umbrâ, vix moræ patiens, manet.
Non me fefellit, quâ tamen fallis viros,
Adulterantis ista fraus. Veniet dies,
Et tempus illud, quo furens rapiet tuos
Libido mores, rapiet & Veneris sitis
Vesana mentem. Mulier alterius levis
Quæris cubile. Quis modum statuet Nothis?
Tham. Amariora felle verba! quod nefas,
Quod execrandum terruit manum scelus?
Cecidit maritus, Conjugis ferro suæ,
Idque tibi: quo te certior quies premat,
Secura nostro membra versantem toro.
Lethæus omnem sustulit sensum liquor,
Quum colla pro te funeri darem tuo?
Ingratus, ipsa sentio, ingratus meos,
Aran, amores spernis, & frangis fidem.
Aran. Ego, dum nigræ sublime Cupressi caput
Ambos obumbrat, ore basium peto;
At impudico dulce subridens sinu;
Torques rebelli, non memor mei, pede
Fugitiva tergus, atque complexum negas:
Hinc me relinquit animus, & nostri malum
Amoris omen spem mihi dubiam ciet:
Nam multa credulus amor autumat, licet
Vultu modesto cor tegat Mulier suum.
Sed pergis ultrà, & pervicax retro ruens,
Occurris ipsa Cæsari; qualis Venus
Amica Marti basium figit volens.
Ardebat ira pectus. *Tham.* Hoc locus mihi,
Et tempus, aliquod si nefas feci, dedit.
Nullum furoris acta mens caperet modum,
Si noster ipsi cognitus foret favor.
Nam scis, amantes quanta suspicio trahat.
Nihil ergo dubites, vive, dimidium mei.
Testor Cupidinem! peremptus expuet

Mu-

Mucrone vitam, & cæde funestâ cadet,
Nostro priusquam porrigat thalamo femur.
Aran. Mortem minaris Cæsari? mortem volo;
Sed inchoandum postulat nervos scelus.
Tham. Optata sequere. *Aran.* Haud dextero factum excidet
Immane voto, ubi nulla consilia appetit
Festinus Ultor. Prosper ac prudens agam,
Quodcunque agendum est: rem locumque attendimus.
Tham. Quid obstat? hoc efficere vires prævalent.
Aran. Qui facinus ingens optat exequi, sibi
Eligere tempus debet. *Tham.* Impediunt manus?
Aran. Vincit scelus animus, nihil timeo trucum
Enses virorum; faciet astus, quod nequit
Aperta virtus. Crimen in melius ruit,
Incœpta multo si volutentur die:
Nam cuncta tempus superat: accrescit, Poli
Super astra surgens, arbor è virgâ brevi.
Interitus igitur, atque Romani Ducis
Nex differatur: tempus instat aptius,
Meliorque veniet hora. Procidet Titus,
Comitesque Patri filios mittam suo.
Titan priusquam condit Oceano rotas,
Lætata miserum, Thamera, conspicies Titum.
Tham. Quid facere sudas? quid novi rabidus struis?
Aran. Ego ipse gnatos solus inflexi tuos;
Rozelina zonam solvet; occidet Procus;
Inveniet illo debitam in puteo necem,
Par triste Fratrum. *Tham,* Fata sed quæ aliis struis?
Aran. Quiesce, Mea; scit rebus ingenium malis
Succurrere, dubiumque quodlibet nefas
Ornare tuto: cæde fraternâ gemet
Maculata tellus: verba rumoris vagi
Et sæva Fratrum bella per populum feret
Abstrusa glebis gaza; nec inanis meâ
Credetur arte, sparsa testis litera.
Tham. Quæ sit, profare, aut qualis. *Aran.* En; legi potest.
De fraude quid moves? *Tham.* Timendum nil habet.

 Sed

Sed Marte duro uterque robustus valet
Librarę tela Frater: sis cautus, precor.
Aran. Præsagit usque mens malum; melius tamen
Fortuna volvit: & minis, & fulmine
Fugamus hostem. Magna virtus est, palam
Audere quicquid: hoc viros vinces modo.
Gemmas eoos Indus inter fluctuum
Audax recessus quærit, & nullus labor
Tentare ponderosa divitis vadi
Metalla prohibet, nec timor frangit meos,
Nec vis labores, nec domat mentem metus.
Frangi labore, & conteri, ignavum decet.
Tellus tremiscet Itala; & æstivo plaga
Subjecta Cancro, sceptrum adorabit meum,
Sub nostra Tigis jura, & Euphrates fluet:
Poenas dabit, luetque refractarius
Commissa magno; sed dabit tempus locum.
Tham. O dulce præsidium meum! *Aran.* O decus meum!

Bassianus. Rozelina. Thamera. Aran.

Bass. QUid hoc, Amica? Thamera devicto comes
Stat blanda Mauro. *Ros.* Cerne, basiis nigros
Amplexa vultus cingit ob collum manus.
Baß. Quid nunc moraris, dextra? quid cessas iners
Exigere poenas? *Ros.* Siste crudeles minas,
Animosque minue. *Tham.* Cogit huc aliquis pedem;
Cohibe parumper oscula. *Aran.* Amplexus tibi
Reddo supremos. *Tham.* Arduum petas nemus.
Aran. Mea vita, eundum est; fugio. *Tham.* Cur pulso metu
Penetratis illos, Thamera queis gaudet, locos?
Baß. Regina pręceps, ausa quę fuit genis
Hęrere Mauri. *Tham.* Verba comprimas volo,
Ignave Princeps. *Bass.* Comprimat vocem Lupa.
Tham. Compesce vocem moneo. *Baß.* Gaudeas tuo
Truculenta monstro, & fruere complexu Viri.
Roz. O Thamera, coecos impetus animo geris?

Semper

Semper placebit Æthiops ? franget niger
Vultus pudorem ? vulnus amove, precor,
Procul impudicum ; fugio monstrum & execror.
Tham. Si mihi potestas illa, si magnæ foret
Ea vis Dianæ, turpe persequerer scelus.
Bass. Decipere stupris Cæsarem facile est tibi,
Actæonemque fingis. *Tham.* Hinc alio pedem,
Pusilla, transfer, candidis nitens comis,
Decora semper veste, numquam moribus.
Tua vix jocoso, qui puellulas juvat,
Deflexit ætas lusu, inepta adhuc Proco.
Roz. Furore tu citata, quo soles, gravi,
Misera Mariti cęde nuptijs novis
Rursus patebas. *Tham.* Læta quando cor[illegible]s
Fovisti Amantis corde placato faces,
Dum fusa ramis sylva condebat nefas ?
Roz. Germana quoties (scimus) ardentes tui
[Horribile dictu!) Fratris explesti impetus ?
Tham. Cum conjugalis jura disrumpens tori
Thalamumque Mater, Rustico dedit locum.
Roz. Quid scelera referam patris ? Arripuit suam
Furore Matrem, Venere tactus impiâ.
Tham. Genere scelesto es : corda direxit Patrum
Libido victrix. *Roz.* Omnia hæc superat mala
Fœtus, repleto ventre quem pręgnans dabas.
Tham. Primus parentum, Martii puer Dei,
Fratris cruentas cæde violavit manus,
Amore regni ductus : intulit ferox
Ortis Sabinâ stirpe virginibus stuprum.
Bass. Romule resurge ? Quæso, labenti pater
Succurre stirpi. *Tham.* Militum Quirp decus,
Succurre Matri, dextra me juvet tua.

Quiro. Thamera. Rozelina. Demetrius. Bassianus.

Quiro. QUid astra pulsas, Mater, & planctu feris ?
Tham. Cadat ense Bassianus ; aufer Virgini

 Zonam

Zonam & pudorem: lædimur. *Roz.* Quo ſe furor
Rapit iſte *Dem.* Damno ſentiet nequam, ſuo.
Tham. Perge ira; ſtupro Virginem; ferro Procum
Vindicta lædat: ſaltus abſcondit nefas.

Klaudillus, Thamera, Gradamard. Aran.

Klau. QUa rupe frendet Vrſus. *Tham.* In denſo vagus
Nemore errat; iſthinc labitur torvo gradu,
Minaſque ſpirat, & tamen pulſus fugit.
Grad. Sic præda certa eſt. *Klaud.* Vicimus, noſtris cadet
Superatus armis. *Grad.* Siſte: ſaltum ſetiger
Aureſque pulſat. *Tham.* Irrue. optatum vides
Nu[illegible]mpus, Aran; corpori gladium imprime.
Aran. Sic [illegible]ere noſtris rebus infeſtum genus.
Tham. Cum patre nati, totaque occidat domus.
Aran. Occulta fraus eſt; indices retinet notas,
Manumque ſylva. fugio. *Klaud.* Serva me, pater,
Serva cadentem filium, ſerva tuos.

Marcus, Gradamard. Saturninus, Lucius, Titus, Klaudillus.

Mar. Quo ſylva planctu mugit, & montes boant?
Grad. Adeſte, adeſte: pereo. *Klaud.* Adeſte, occidimur.
Adeſte. *Sat.* Timidas clamor hic aures ferit,
Condente fago. *Tit.* Puteus occultat nefas.
Sat. Quod deliteſcit, experiri lampade
Facibuſque, certum eſt. Lampadem & faces mei
Ferte huc miniſtri. *Luc.* Quiſquis es, quem cernimus,
Immotus aſta, aut voce nomen exprime.
Mar. Eſt imperantis cuncta Frater Principis.
Luc. Collo implicatam reſtis innectit viam
Vitæ & loquendi. *Tit.* Triſte & horrendum ſcelus!
Nefaſque duplex! fune & enſe concidit.
Sat. Me, Baſſiane, ſceleris ultorem, & necis
Promitto vindicem. Ante Roma ſorbeat

Meum

Meum cruorem, fracta labatur salus
Populi, & Regentis, poena quam fugiat reos.
Tit. Pereant nocentes; quisquis est malus, luat.
Mar. O sidus urbis, columen Ausoniæ domus.
Quicunque fecit, numine oblito, nefas,
Pejora videat. *Luc.* Improbas laqueo manus
Tanti catenæ sceleris ultrices gravent.
Sat. An conjugales mœror obsuscat faces?
Cruore mistum nectar, & lachrymis cibus
Ornabit epulas? fulmen & telum Iovis,
Ferentque nostras [si volent Superi] minas.
Tit. Adfer micantem, lumine accenso, facem,
Ut quidquid imo lateat horrendum specu,
Videre liceat. *Mar.* Video, quid sit nescio.
Tit. Agnosco binos sanguine exhausto viros,
Nisi fallit umbra. *Luc.* Si patris veniâ licet.
Scandam sub antrum primus: obscuros gradus
Natura fecit. Lumen addite. *Tit.* I, sequor.
Sat. Arx summa Mundi Roma, cui tot barbaræ
Gentes dedere spolia, quambis undecim
Investit horis inclytum muri decus;
Iacet ista virtus; templa, tot turres cadunt,
Cadente Domino. Claude pullatas fores,
Moestum Tribunal; parte non minimâ cares.
Tit. Horrore quatior, concitat mentem tremor.
Gradamarde quo; Klaudille quo; Gnati mei,
Quo decidistis? *Luc.* Forte Klaudilli caput,
Ruptum, cerebro penitus expresso, jacet,
Hiatque fractis forma Gradamardi, genis.
Tit. Tumet animus ira! pectus immensum rapit
Sine lege rabies, cordis horrendi furor.
Mar. Feras in altum membra (quid cessas) diem.
Tit. Expello lucem, saxei moles soli
Ruat vel in me, dummodo hic vitam expuo.
Mar. Ascende Frater. *Tit.* Fata si vitam negant,
Habeo supulchrum. *Luc.* Perge, non ulciscceris?
Sat. O morte dirâ tristius mortis genus!

Immáne

Tit. Immane factum! Magne Regnator Deum,
Tam lentus audis ſcelera? tam lentus vides?
Miſerere Genitor, tuque ſidereum, caput
Abſconde Titan; tu nefas tantum & ſcelus
Speculare? lucem merge, & in tenebras fuga.
O ſortem acerbam ſemper! o lætum aſperum,
Quod quemque nimium, me tamen magis, premit!
Sat. Cælum invocate, & vindices Cœlo Deos.
Tit. O lucis alme Rector, & mundi Arbiter,
Te dimicante, turbinis vaſti modo,
Cecidit ſupremis lapſus Enceladus jugis,
Et monſtra terrę. Fulmen aſſolitum move.
Neque ſit inultus criminis tanti furor.
Mar. Spectanda medio membra ponantur foro.
Videre demum frigidos Ducum toros,
Et efferatam Principis noſtri necem,
Populum juvabit: concitę plebis cohors,
Aut forte flebit, aut cruentatâ manu
Sequetur hoſtes. Faciet hic, faciet dieſque,
Quod nulla tellus taceat, & nullus Nepos.
Tit. Sparſas tabellas video. *Mar.* Cæſari adferas,
Ut quicquid habeat charta, ſi placet, legat.
Sat. Patet omne facinus. *Tit.* Audiam Auctores mali.
Sat. Ad arma! ad arma! prodimur. *Tit.* Quis Proditor?
Sat. *Effuſus cruor eſt, periit cum ſanguine Frater*
Cæſaris; effoſſum, nam ſic voluiſtis, in antrum
Germani cecidere; latent bene præmia, cæco
Occultata loco, ne quando fama per Vrbes
Proferat obſcuræ commiſſa piacula culpæ.
Saturnini omnis, jam jam lapſura, cadentique
Aſimilis, tremit Aula, nigræ devota paludi.
Nulla mora eſt, quos quiſque adiit fœliciter auſus
Perficiet, meritaſque dabit petulantia pœnas.
Quid hoc? quis atrox filios armat furor?
Quæratur aurum. Quas mihi lachrymas parat
Origo cuncti triſtis invidia mali!
Tit. Hæc vera credis? *Sat.* Vera credo, aut ſuſpicor.

Tit. Cuncta indicabit tempus, & ſolvet Reos.
Sat. Sero indicabit, quæ patet, tempus necem.
Palam eſt: utrumque charta filium arguit,
Mihi mors, ruina, & exitus regno imminet,
Niſi providemus. Torqueat natos dolor,
Cauſamque diſcat Urbs, & Orbis criminum.

Thamera, Saturninus, Aran, Titus, Marcus. Lucius, Quintus,

Tham. O Sponſe, noſtri dulce ſolamen mali,
Quam rupta ſquallent ora! quam veſtes jacent!
Quam diſſolutæ per genas fluunt comæ!
Sat. Quis, ede, tanti decoris everſor fuit?
Tham. Furias duorum corpus innocuum tulit,
Sed galea vultum, gladius armabat latus.
Sat. Eloquere triſtem ſceleris horrendi modum
Tham. Juvabat artus fonte crepitanti meos
Fovere, rabidam lympha relevabat ſitim,
Captata manibus; arbor extendens caput
Defeſſa tepido membra recreabat Noto,
Dum purpuratum Solis excludit jubar,
Vix hic reſedi, ſæva cum rupit meos
Manus capillos; nec ſat hoc hoſti fuit,
Sed irruenteis miſera toleravi pedes.
Superba Meretrix Regis, hoc gladio ſtatim,
(Sic fatur) atrum noctis ęternæ chaos,
Stygiique fœdos Ditis aſpicies lacus.
Qui caſus illo poſsit æquari malo?
Attollo vocem voce ſublimi meam,
Mox incitato Maurus accelerat gradu,
Triſtemque Thameram morte non dubiâ eripit,
Et ipſe curſu validus abeuntes premit.
Sat. Adeſte, Proceres, fallet incautos dolus;
Aditus viarum cludite, atque omnes locos.
Aran. Supreme Rector, cujus imperio jacet
Subjectus Orbis, maxima impendent mala,

Niſi

Nisi concidentem cæde restituas domum,
Titique Latiam liberi tingant humum
Cruore sparso; noxa supplicium meret.
Tit. Quæ causa Natos poscit, aut pœnam parat?
Aran. Vix insequentis bellua effugerat manum,
En sylva fremitu sonuit, & dirus meas
Ululatus aures perculit; tendo gradus,
Quo me tumultus, clamor, & planctus vocat.
Offertur oculis Thamera, sed jacens, meis,
Tristisque luctu; debita ulcisci jubet
Vindicta pressam; territi attonito metu
Fugiunt latrones, mox recedentes sequor
Mucrone stricto, dumque suspenso gradu
Feror, in recessu penitus abstruso abditi
Tectum corusco casside exonerant caput;
Agnosco fraudem, cumque Polandro ferox
Melanus astat. *Sat.* Prospera ac felix diu
Tibi vita maneat, cujus accessu, & minis
Regina diras hostium effugit manus.
Aran. Pignus tenemus sceleris, affirmat fidem
Acceptus ensis. *Sat.* Veritas expers doli
Incerta removet: talibus cinctus fuit
Polander armis, jam procul dubio parat
Audax ruinam patrię Andronici genus.
Tham. Quæ cęsa video corpora? & terram rubro
Cruore tinctam? *Sat.* Crimine incusant Titi
Hæc scripta Gnatos. *Tham.* Fratribus miseri suis
Periere Fratres? & tuus simul Procus,
Roselina, cecidit? *Sat.* Sceleris Authores volo,
Me, me jubente, cæde crudeli cadant,
Mora omnis absit, quisque se tradat viæ,
Repetatque sylvam, donec occultos mihi
Emissa referat turba. *Mar.* Paulisper tuo
Desiste cœpto, Cæsar, & tantum vigil,
Inquire facinus; veritas nunquam latet.
Quint. Quæ causa tardat? crimen hoc auro patet.
Sat. Quæ verba reddis? mente suspensâ Titus

Ad-

Adhuc tenetur? *Tit.* Fixus, atque idem mihi,
Ut ante, perstat animus: horresco nefas,
Tantamque cædem. Iuro per Fratrem tuum,
Cæsosque Natos, dextera Auctorum nece
Satiabit umbras, sceleris admissi tamen
Latet Architector. *Sat.* Crimen ignotum indicat
Detecta nubes, cumque Polandro suo
Melanus Auctor impiæ cædis fuit.
Tit. Quis ista scripsit. *Sat.* Qui pecuniæ lucro
Inductus ensem sanguine insonti imbuit.
Tit. Erras: doloso quispiam invidiæ malo,
Partæque magno gloriæ periculo
Inimicus, istâ liberos pressit notâ.
Concedo falsum: scelera natorum tegunt
Magnifica belle facta. Non mentem erigit
Defensa patriæ Marte foelici salus,
Honorque: sed quis nomen illius potest
Tacere, cujus inclytas laudes videt
Utrumque Phœbi littus, & suo canit
Rumore fama? Repete, si juvat, dies,
Lapsumque tempus, triste cum subijt nefas,
Et scelere in uno non semel fecit scelus
Romana tellus. Jura squallebant fori,
Totamque fusus Curiam implebat cruor,
Et nostra solitis templa caruerunt sacris,
Regnante furiâ. (quodque memorari pudet)
Fratrem pavebat Frater, & natum Parens,
Natusque Patrem, neve neglexit suos
Noverca mores. Latro nummorum fame
Stimulatus, acri cæde maculabat locos;
Hic fœminarum planctus, hic strepitus virum,
Illic cruentâ morte semianimis jacet,
Frustraque multas tollit ad Superos preces.
Claudebat omnes ad forum vias homo
Cumulatus homini. Noxius prędæ furor
Populum incitabat. Stravit agnatos suo
Ingratus Hæres ense, & impatiens morę

Mucrone potitur, morte quod justâ statim
Nequit potiri, nec scelus propinquitas
Tardare potuit. Tollit hic hostes suos;
Hic Creditorem perimit; hic regno imminens,
Vanos honores sequitur, & sceptrum petit,
Rectore dempto. Quicquid Eumenides tenent,
Aut execrandus sedis infernę canis,
Phlegetonque, quicquid Pontus, & Aer tulit
Terribile, dirum, pestilens, atrox, ferum,
Lacerata vidit Roma. Non senium Senem
Protexit, omnis perijt ætatis gradus.
Non fœminarum vota, non pueri preces,
Non sacra Vatis, non puellarum dolor,
Non fletus avidas hostium avertit minas.
Sed ipse sacros polluit sanguis Lares.
Hic dignitatem sperat, hic fasces cupit.
Nec deest tuum, Dux magne, qui sceptrum petat.
Quantum cruoris Roma tunc vidit sui,
Depressa cunctis! sed scelestorum manus
Rabiemque belli turbinis vasti modo,
Hæc dextra pressit, & regi impatiens furor
Abjecit omnes, sed meo jussu, minas.
Si comparare, magne Rex Regum, libet
Scelerata factis facta Natorum meis,
Cedet triumphis culpa, virtuti scelus.
Sat. Virtute virtus, scelere pensatur scelus.
Tit. Infesto nimios ira dat pœnæ modos.
Sat. Regem potestas, cum scelus punit, tegit.
Tit. Acquirit odium, qui pios nimium premit,
Hostisque telo regna lacerari videt.
Sat. Imperia pandit Cæsar, & populum facit
Sibi obsequentem, jura si reprimunt malos.
Tit. Regno severos sæpe depellit Duces
Vindicta. Miseris Cæsar ignoscat Reis,
Tradatque veniam facile, cui veniâ est opus;
Sic clara famę nomina æternę meret.
Sat. Pravos coercet poena, &, ejecto malo,

Regni

Regni vigentem jura confirmant ſtatum.
Tit. Legis ſtatuto diſplicet ſeveritas.
Malefacta prohibet pœna, ſi ſervat modum;
Firmat ſopitos ira, quos punit, malos.
Sat. Sed Rex nocenti debitam poenam irrogat,
Et grande factum grande ſupplicium manet.
Tit. Compeſce tantas, Cæſar, irarum minas.
Pœnæ modus debetur, ubi poenam exigas.
Sat. Non dant ſalutem jura, ſi per hunc ſalus
Everſa patriæ eſt: noxa vindictam petit.
Tit. Si vera res eſt, fateor, admiſſum ſcelus
Scelus omne ſuperat; at tuæ eſt clementiæ
Delere tantam ſanguinis noſtri luem.
Sat. Qui non vetat peccare, cum poſſit, jubet.
Patriæ periculo animus erratis carens
Abluere tanti criminis ſordes negat.
Tit. Haud unquam Olimpi Rector humanum genus,
Tentare quid, quod exequi nequeat, jubet;
Non patitur, omnis Author in peſtem ruat,
Nefaſque inultum ſæpe dimittit Deus.
Id facere laus eſt, quod decet, non quod licet.
Magnum potentibus decus clementia eſt:
Hæc vincit atram noctem, & irrevocabiles
Colos Sororum. Ira eſt brevis ſemper furor.
Sat. Inviſus, & male regnat, imperio ſuos
Punire qui non novit. Obeant, aut Ducem
Metuant neceſſe eſt. Hæret ambiguo ſalus:
Tit. Si mors petita eſt, non tamen factum eſt ſcelus.
Sat. Iſtam voluntas, quam nefas, poenam ſubit.
Tit. Meditare, Cęſar magne, conſilium rege:
Dubitatur etiam, nec ſatis conſtat nefas.
Sat. Quis hæret anceps? literas, aurum vides.
Mar. Vlyſsis acer arte Palamedes jacet,
Fallæque proditionis occidit dolo.
Adſunt Siones. Penitus inquiri decet,
Sat. Punire fontes, ſi volo, quis impedit?
Quod in nocentes patriæ facit Pater.

 Qui-

Sat. Punire sontes, si volo, quis impedit?
Tit. Quirine, diva nata proles Iliâ,
Quo se reflexit ęstimatio tuæ
Ruitura gentis? conferat lapsum tibi
Junioris ævi fama miratrix decus.
Invictus Orbe splenduit toto Quiris,
Honore dives. Cum laborat rustico
Intentus operi Curius, & pro mœnibus
Sylvas relictis placida simplicitas colit;
Vis nulla, avaræ nullus est mentis furor;
Nec aura populi, aut vulgus infidum bonis,
Nec pestilens invidia, nec fragilis favor
Falsâ Senatus lege justitiam domat.
Superante prodigâ modum superbiâ,
Armat Tyrannos facinus; Authores mali
Fovet Tribunal; Curiam tunent Boni.
Sat. Maledicta nobis doctus infundit dolor;
Frenare possum verba, & audacem malo
Linguam domare. Non quiescit pectoris
Ira ante pœnam Sic volo, sic impero.
Properate: In urbem mortuos currus vehat.
Mar. Imploro, Cæsar, supplici supplex prece;
Si quid vigoris pristini mansit tibi;
Per innocentem parce sanguinem, manus
Scelerare fortes, parce Ploranti, rogo.
Tit. O dira, Roma, sæva, truculenta, horrida,
Quę stygia Erynnis improbam vibrat facem?
Flaccescit, interit, labat, marcet vigor
Melioris ævi, non timet sceptrum tuum
Peregrina tellus: implet armiger Scytha
Graves pharetras; Mars levi & Martis Soror
O nusta peltâ, frangit impios lares.
Religio cessat sacra; barbariem Deo
Dicat Sacerdos; vitta diffuso rubet
Cruore; Venere fana Bacchoque incalent.
Cadaver angustas olens operit vias,
Tibrisque lentus milium clypeis fluit;

Thuscum

Thuſcum per Urbes clade vulgata ſolum
Plorat fugacem Sortis incertę ſtatum.
Aſtræa ceſsit Virgo; pietas exulat;
Immane regnat facinus; hoſpiti ſuus
Imponit hoſpes; territat generum ſocer;
Parentis haurit gnatus, & gnati Pater
Vindex cruorem; Conjugum diſcordia
Fœdus pudici temerat auratum tori.
Nutrix venena miſcet infanti ſuo,
Et membra ſubminiſtrat in levi foco
Detoſta Matri; candet iratus Tonans,
Fulmenque dirâ torquet in terram manu.
Dic Phœbe (luſtras cuncta) dic quis Artifex,
Quis Machinator fraudis inſontes petat?

Chorus Fœminarum.

TYrio pulcher ſplendore color,
Et ſidonio purpura cocco
Ornet amictus; laxata ſinus
Zona recludat, ſed barbarico
Saturata croco.
Nitido comptos pectine crines,
Poſitaſque comas, manus Artificis
Mirrha, & pingui tingat amomo.
Toga regali fulgeat auro,
Toga diverſis ſuccincta modis;
Ornet collum, teneraſque manus
Adamantis honor.
Cingat teneros lapis articulos,
Lapis eoa lectus in unda,
Lapis aſſyrii munera ponti.
Placidam pulchræ Veneris famam
Auget amictus; meliuſque nitet
Cytherea novis gemmata togis.
Illitos auro removete cultus:
Flemus inſontes. removete baccas,

Unda quas nobis pelagi miniſtrat.
Plangor Arctoum faciat ſmaragdum;
Gutta det gemmas. Redeant dolores;
Dextra nudatos quatiat lacertos,
Cæſaris motos ſuperemus æſtus.
Uritur; fervet dolor; ira læſam
Concoquit mentem, rapiuntque flammæ.
Audiet clemens veniam precantes;
Audiet mœſtæ pia vota Romæ.
Fregit incomptos Venus alma crines,
Cum cruentatum lachrymans, ſtupenſque
Vidit Adonim.
Mœror, & luctus, lachrymæque noſtrum
Protegunt ſexum. Male fœminarum
Mundus, illuſtri pretioſus oſtro
Fulget; & fuco nitet, inquieti
Tempore facti.
Lesboum pariter tendite barbiton;
Permulcete fides, & lituo tubas,
Et miſtos ſonitus jungite fiſtulæ.
Sic, ſic perſpicuam ducite Virginem
Ad mœſti ſolitum ſupplicii locum.
Odit verus amor, nec patitur moras;
Sponſum flama coquit; qui miſer aſperis
Extendit moriens colla ſecuribus,
Extremoque mori gaudet in oſculo.

ACTUS TERTIUS.

Marcus, Rozelina.

Mar. Miſeranda Virgo, ſidus infœlix tuos
Turbavit ortus. Quis truces in te manus
Armavit Audax? rapior incenſus; feror
Stimulatus irâ; pectus accendit furor.

Titus, Saturninus, Polander, Melanus, Lucius, Indices, Marcus, Roselinâ.

Tit. AGnosce Cęsar: lachrymas fundit dolor;
Supplex senectus plorat, & guttis madet
Rugosa facies. Per tuum rogo genus,
Per Matris oro nomen, atque ortus tuos,
Per auspicatos mollium annorum dies,
Ne nimius altam concitet mentem furor.
Miserere Patris, Cæsar, ad genua accido,
Dextramque supplex pedibus admoveo tuis.
Miserere Cæsar, & preces placidus pias
Patiensque recipe. Vagiens fletu lupos
Movit Quirinus. Moveat iratam Pater
Mentem incitati Principis; vel si preces
Fletusque durus spernis, & suam exigit
Justitia pœnam, liberos redimat suo
Titus cruore; pereat infœlix Senex.
Mar. Exurge Frater. *Tit.* Jaceo supplex Cæsari.
Mar. Jam surge tandem. *Tit.* Nempe si veniam meis,
Vitamque Princeps largiatur Filiis.
Mar. Exurge Frater. Quid jaces? surdis abit
Rerum æstimator auribus; spernit pias
Lachrymas tribunal. *Tit.* Quanta me clades premit!
Mar. Natam intuere Frater. *Tit.* Heu decus meum!
Mea Nata, ab ore qualis emanat cruor!
Mar. Mutilata linguâ & manibus infœlix gemit.
Tit. Mutilata linguâ & manibus? *Mar.* Aspicis nefas.
Tit. Mutilata linguâ & manibus? *Mar.* Effugiat dolor.
Tit. Mutilata linguâ & manibus? *Mar.* Ulcisci decet.
Quid? friget animus? fare, quid Frater siles?
Eloquere, subitus ora quis claudit dolor?
Tit. Succumbo forti; ferre non possum; cado.
An luctu in ipso Gnata dat luctum novum,
Mutilata linguâ & manibus? an fallor miser?
Mar. Fallaris utinam! *Tit.* O chara vitâ charior!

Septen-

Septentrionis frigidâ quis efferus
Nutritus Arcto pavit audacem tuo
Cruore dextram? clausit oculos impudens,
Pudibundus ensis stupuit, & pavidus tuo
Stetit nitore. Sed tamen vicit furor.

Mar. Constanter illud patere, quod debes pati.

Tit. Non est pudendum, si furor totam malis
Et hinc & illinc mille distractam modis
Mentem inquietat. Nunquid æstuans Arabs
Diris sagittis; nunquid Æthiops suo
Sole ustus; aut qui Caspium tangunt mare
Parthi feroces; quique sanguine irrigant
Terram Tomitę, tale sunt ausi scelus?
Quis inhospitalis Caucasi rupem asperam
Heniochus habitans? quisve Cecropijs metus
Terris Procrustes? Matre pulchrâ pulchrior,
Romana damnans scelera, clementer tuum
Videat cruorem, membra Diomedes suis
Epulanda qui projecit armentis ferox.

Mar. Roselina, loquere. quis scelerum Artifex?
Quis indicabit? Bassiano Conjugem
Quis invidebat, aut suo Gnatam Tito?

Tit. Si docta Apelles pingat, aut Xeuxis manu
Facinus cruentum, quis nefas, quis Virginem,
Aut quis serenis cuncta perlegat genis?
Vivax Poësis, buccina illa temporum,
Rerumque custos, posterorum sæculis
Si narrat ingens, Roma quod videt, malum;
Male Roma, Cęsar, & Senatus audiet.
Virgineus altis periit in genis color;
Vox docta nostras erudito carmine
Cantare laudes, obmutescit; & manus
Æmula Minervæ, fracta nunc, & mortua
Non pingit ostro bella, quæ fecit Pater.

Lucius

Lucius, Titus, Marcus, Rozelina.

Luc. MIserande Genitor, culpa me diræ necis
Gravat innocentem. Quis locus tutâ teget
Terrâ repôstum? Fugio. Fratres occidunt
Pereuntque inulti; vincit afflictos metus.
Tit. Luci, intuere; numquid hoc pœnæ genus
Oculos fefellit? *Luc.* O scelus! vultu Soror
Roselina marcet saucio. *Mar.* Vide omnia,
Linguam amputatam faucibus, truncas manus.
Luc. O dura semper fata! Quæ crudelitas?
Quis Machinator sceleris est? In nos furit
Styx quicquid abdit, quicquid est alibi malum.
Tit. Vindicta, & ira cum furore vindicem
Parat huc & illuc incitata dexteram.

Aran, Titus, Marcus, Lucius, Rozelina.

Aran. BEllator audax, debitas pœnas luet
Uterque Natus: tristis hinc trunco cruor
Undabit, illinc ora cum fremitu cadent.
Tit. Expone seriem cædis, & locum indica.
Aran. Quem Thusca leni verberant fluctu vada
Româ intuente; qui Ducum nunc undique
Plebisque turba cingitur. Totum coit
Ratibus relictis vulgus: his collis procul
Aciem patenti liberam præbet loco;
His alta rupes, cujus è cacumine
Erecta summos turba libravit pedes.
Hunc Pinus, illum Laurus, hunc Fagus gerit,
Et tota populo sylva suspenso tremit.
Extrema montis ille prærupti petit,
Erecta at ille tecta, vel saxo sedet.
Stipante turbâ, rapitur ad pœnæ locum
Uterque Gnatus; multitudo euntibus
Insultat audax. Unus exclamat: luant

 Pro

Pro ſcelere pœnas, devorandi Tigribus;
Aut triſte trunco pendeant infami onus.
Exemplar aliis; imbre ſaxorum cadant;
Trahat interemptos currus; aut necem eluat
Facinuſque flama; montis excidant jugo,
Pereantque in undis. Alius, infandos, ait,
Rape fratricidas: Roma vindex improbum
Sitit cruorem; Carnifex ſtabit ſacris
pincerna noſtris; rubra mixti ſanguinis
Colore vina Romuli ſerus Nepos
Epota cranio, & oſsibus vacuis bibet.
Reſpondet alter: Bella moderatur Titus,
Flectitque magnus Imperator Milites,
Latiique habenas; nullus irato Quiris
Impune rapiet è ſinu Natos Patri.
Si facitis, inſtat pœna: funeſto cadet
Ruitura lapſu Roma, finitimos premet
Vis tanta cladis; quiſquis & noſtras videt
Peregrinus oras, Roma monſtrabit loco,
Quo ſteterit: fulſit hic celſo domus
Tarpeja tecto, nobilis Capitolii
Labor ſuperbus; Janus illic januâ
Quondam recluſâ gentibus bellum dedit,
Clauſa quietem; turris è faſtigio,
Quod intueris, arbiter rerum ſedens
Nero otioſus, urbis incenſæ rogos,
Flamaſque vidit: nempe ſic pereunt Phryges
Undante fumo, Troja cum incumbit ſibi,
Et alta muri decora congeſti jacent,
Omniſque latè fumat Aſſaraci domus.
Diſcors tumultu Populus, exertam rapit
Linguam Loquentis; ſternit exanimem furor;
Et qui Patronus voce defendit Tuos,
Fractâ cruorem & ſpiritum fundit gulâ.
Tit. Ubi tela, ubi arcus! Roma quo præceps ruis?
Aran. Lux iſta cunctos Urbis Auſoniæ locos
Terrere cœpit: templa paveſacto tremunt

Con-

Concussa motu. Tum vides populum manu
Bellare nudâ, saxaque & ramos rudes
In arma verti; fusus hinc terras cruor
Infecit omnes, tela faciebat furor.
Hęc inter arma Virgo, sed magis Dea,
Dea vultu & ore, tendit; in genis pudor,
In veste pulcher muricis fulget color,
Quæ fila ramis ultimi Seres legunt;
Cervix monili fulget, & nitidus lapis
Diduxit aures. Zona constringit sinus,
Onerata gemmis Zona, nec Veneris minor.
Tenetque nitida signa Phœbeæ facis
Venusta facies; lumine incenso micant·
Gemmæ rubentes; colla perfundunt comæ,
Pulchri capilli, nuptiis veluti novis
Jam jam parati; mœsta dejectos gerens
Vultus pudore, scandit ancipiti gradu
Frequens theatrum, terque submisit genu.
Stupet omne vulgus, terror attonitus movet
Populum furentem. Voce mox tali tonat:
Mundi Imperator, Arbiter vitæ & necis,
Ad sancta lecti jura legitimi peto
(Sed te volente) bellici Gnatum Titi
Natu minorem; merita si digne æstimas,
Absolve vitæ dulce præsidium meæ.
Dubitatur etiam? quę minor merces potest
Nostris dari virtutibus? mœstos juvet
Meminisse, Cæsar, Africi belli dies:
Exhausta nummis Curia, & clypeo, & viris
Vrbs indigebat; Milites nunquam sibi
Videt obsequentes Imperator, qui est inops.
Tuus efferatas hostis externi manus,
Trucesque turmas moestus expectans Avus
Timebat Urbi; mœror immensus sonat.
Amita Parentis, sola civium salus,
Romæque columen, libera apportat Duci
Gazas potentes, & superbificas opes,

Cun-

Iramque pietas. Ecce, si vivit minor,
Et major ipse vivat: ultrices vocant
Utrunque pœnæ. Merita pietati tamen
Supplicia cedunt. Liberis vitam dabit,
Gnatis salutem, Virgini mœstæ Procum,
Abscissa rigidi dextra bellatrix Titi.

Tit. Abscindo, reseco. *Mar.* Frater, hoc absit malum,
Mea dextra petitur, regere quæ ferrum nequit.
Tu fortis omnes hostium frangis minas,
Tua dextra pugnat. *Tit.* Viribus fractis jacet,
Inepta ferro; trunca defendat Meos.

Mar. Non patior unquam. *Luc.* Frater absolvam meos
Pro Patre Fratres. *Tit.* Poscitur, dabitur mea.

Luc. Placabit iras Lucius. *Mar.* Lacerum petit
Vindicta Marcum. *Luc.* Juro per genus meum,
Avello nostram. *Tit.* Verba non solvent Reos.
Jubet Imperator; jura condemnant Titum.

Luc. Tua dextra? dextra solus hostium metus?

Aran. Sic, sic agendum est: summa votorum attigi.
Sed nondum abunde est. Pergam, & implebo Patrem
Funere Suorum: forte concidet pari
Dominator ipse. Sic securigerâ manu
Altum superbo vertice attingam Polum.

Tit. Quæ postulatur, liber abscindo manum.
Da, da petenti: hæc illa formidabilis,
Hæc dextra victrix sępe, & hostibus gravis.
Hæc, hęc acerbâ clade germanam furens
Summis phalangem fudit Alpium jugis.
Cruore fluctus unda purpureos agens
Quot volvit hostes! ense sanguineo jacent
Sparsi Molossi; Gotthia infractis gemit
Bis victa telis; Argos eversa ruit
Æquata fundo: tanta clades gentium,
Sparsæ tot Urbes, Gloria & decus Titi est.
Hæc dextra faustas Civibus leges tulit;
Hæc dextra Natos solvet? adfer Cæsari;
Gnati supersint. Plura si poposcerit,

 Dabo

Dabo cruorem ; plura si popoſcerit
Profundo Vitam. Tympanum velet cutis
Detracta coſtis ; impium raucus Ducem
Clangor juvabit , cum ſuperbifico ſedens
Curru per Urbes fictus invehitur Deus.

Aran. Per concitatum Militum , & vulgi gregem,
Feram Imperanti , quę Tuos ſolvet, manum.

Tit. Roſelina, Patri ſola concuſſo quies,
Cur fletus ora maculat, & multo genę
Rore irrigantur ? dextra te Patris movet ?
Nutat ! movetur ! quam velit miſera loqui ?
Lętare , gaude , Gnata : ſedabo tuas ,
Sedabo lachrymas. Cæſari quondam manus
Vtilia bello fecit ; hoc ſolum meum eſt ,
Hoc eſſe noſtrum crede , cum pugnat ſibi ,
Et moeſta diris pignora eripio malis.

Luc. Quis in Sororem tam truces acuit manus ?

Mar. In nemore denſo candidos triſtis ſinus
Fletu inquinabat. *Luc.* Cur diem queſtu tero ?
Ad hauriendum ſanguinem inimicum feror.

Quintus, Titus, Marcus, Lucius, Rozelina.

Quin. DEcus Quiritum , dextra redditur tibi
Iuſſu Imperantis. *Tit.* Redde Patri Filios.

Quin. Sunt interempti : Capita, quæ porto , vides.

Tit. Te fata perdant ! *Quin.* Quod fero , meus mihi
Mandavit Aran. *Mar.* Fumen obruat caput !

Luc. Procul hinc faceſſe. *Mar.* Pectus attonitum ſuos
Non ponit ęſtus ; ſęvit , & pergit furor ,
Secumque pugnat ira. Iam faſces tremunt.

Luc. Miſera ſenectus ! Filios perdis Pater ;
Occidimus omnes. Lingua quid longo ſtupet
Labefacta luctu ? loquere; clama; ſpiritum
Firma cadentem. *Mar.* Spiritum claudit dolor ;
Everſa mens ſuccumbit. Haud aliter ſtupet ,
Quam ſi Meduſæ vultu & aſpectu horridos

Vidiſſet

Vidisset angues. Frater, exopto tuas
Audire voces; ede, quam poenam pares?
Per inquinatum, te precor, Gnatę decus;
Per Filiorum fata; per mortem, & mala
Domus cadentis; pectoris pande impetum.
Luc. Si te paterni commovet cordis favor,
Haud usitatum sume supplicii genus;
Aut omnis abeat ira! quid dubitas loqui?
Mar. Vocem dolori lingua luctifico negat,
Et ora mortis similis obducit color.
Tit. Morior, premorque. *Luc.* Quid Pater mortem appetis?
Tit. Morior, premorque. *Luc.* Flere me jubet dolor.
Tit. Morior, premorque. *Mar.* Sancta quo pietas fugit,
Et ipsa Ratio? *Tit.* Sidera, & Coelum invoco.
Mar. Compesce verba. *Tit.* Sidera, & Cœlum invoco.
Luc. Depone questus. *Tit.* Sidera, & Cœlum invoco.
Mar. Occulta faciunt odia vindictæ locum.
Tit. Levis est dolor, qui tegere consilium potest,
Et clepere sese. nostra non latitant mala.
Mar. Fateor, cruentas temporis moesti vices
Subeundo pateris; gravia sed luctu doles
Inusitato. Tempori aptari decet.
Tit. Sint mille linguæ, divus eloquii nitor,
Gerit inqueti concitas vices Noti
Vox duplicata; non tamen tanti modum
Pandet doloris, aut domus luctum meæ.
Mar. Vindicta properat; Vindici poenas dabit
Scelerata Cœlo turba. Tende ad Æthera
Cum laude palmas: Supplices juvat Deus.
Tit. Sed me astra multo Filiorum sanguine
Mersum reppellunt. Si preces spernit Polus,
Acheronta moveo; & inferas Ditis domos.
Adeste, adeste, sceleris ultrices Deę,
Crinem solutis squallidæ serpentibus,
Atram cruentis manibus amplexæ facem;
Stimulate pectus. Curia & totus cadet
Ferro Senatus. *Luc.* Quo tuus vergit furor?

Iactor

Tit. Jactor per undas naufragus. *Mar.* Iam comprime
Questus inanes. *Tit.* Quid prius referens gemam?
Tuosne luctus, Filia? an raptam manum?
An exulantis dira fata Lucii?
Tuamne, Bassiane, quâ jaces, necem?
An interemptos Filios, florem domus,
Et spem Nepotum? *Luc.* Tacitus occultet dolor,
Quod corde tegitur. *Tit.* O Tyranni! O Impii!
O Gnate patrios Urbis Ausoniæ Lares
Exful, pavens, invisus alieni Laris
Hospes relinquis? gentis externę solum
Errans adibis? fata confundunt meos
Turbata sensus. *Mar.* Surge, & adversa impetu
Perfringe solito. *Tit.* Sola Genitori Comes
Roselina, tristes imbre quo spargis genas,
Hunc esse gemmas rebor; his celsum caput
Ornabo lachrymis; hic inexpleta cruor
Tellure sparsus, conciti baccas maris
Refert colore; fulgeat tali meum
Splendore collum; grande connectat meos
Diadema crines; sanguine infausto placet
Diadema tinctum. Purpuram fœlix Tyrus,
Croceosque vultus jactet ætherio sedens
Aurora curru; Veris optati decor,
Et pulchra facies, Virginis cupiat libens
Cruore spargi. Taceat immensum nefas
Philomela; Proghnę Terea absolvat suum;
Graviora passus Filiæ queritur dolor.
Ubi hanc senilis expuam lethi moram?
Succumbo sorti. *Luc.* Non levant lachrymæ malum,
Secreta gliscat ira: quæ tegitur, nocet.
Tit. Quicunque sæva capita, discussit manu,
Cadat, ruatque sorte damnatus pari.
Nati perempti, tale bellorum exitus
Terrâ, marique mortis insequitur genus?
Vigor juventæ cecidit. O dirum nefas!
Premunt (furore rapior) ęquali Titum

Elementa

Elementa lapſu. Parta jam, parta ultio eſt.
Scelerate Cæſar, quantus impendet tibi
Cumulus doloris! grande ſupplicium lues.
Mar. Quid hoc? quis atrox concitat mentem dolor?
Tit. Tu, qui ſerenos ruris Elyſii locos
Cum Fratre Frater, morte concidens gravi,
Claudille, ſpectas; fare, quis fudit domum?
Sævæque durum cladis Auctorem indica.
Non ante veſtros igne ſubjecto rogus
Cineres cremabit, quam cruentando cadant
Ferro Latrones. *Luc.* Pectori tandem tuo
Manda querelas. *Tit.* Surge; rumpe jam fores,
Erebique portas; dic reas ſcelere manus;
Dic, Baſſiane. *Mar.* Rumpe jam queſtus, precor.
Tit. O dextra, ſummum gentis Auſoniæ decus!
O dextra, ſolus Orbis, & Terræ timor!
Jubente Domino, ſanguinem effundis tuum,
Jubente raperis; ſola ſpes Romæ cadit.
Populi Tyranne, ſenties tandem mihi
Supereſſe vires. Marce, fortunæ Comes,
Extolle planctus; arduos humeros manus
Furibunda quaſſet; ore te gravi juvet
Deflere Fratrem; verbere excuſſo ſonet
Lugubre pectus; exprimat fletum dolor.
Mar. Neptes Quirini, gentis Auſoniæ decus,
Ferite palmis pectora, & ſeptem gemant
Clamore montes; crine diſperſo fleat
Quæcunque Virgo eſt. Fratris ærumnas mei,
Altumque vulnus defleant mœſtæ Nurus.
Quoſcunque luctus fleverint, flebunt meos:
Sua quemque tantum, me omnium clades premit;
Mihi cuncta pereunt; quiſquis eſt, Tito eſt miſer.
Quid, Marce, lachrymas ſiccus aſpicis meas?
Jam flere oportet. Ingemis? vaſto mihi
Pande ora rictu; mugiat totum nemus,
Timidaſque clamor impleat ſylvas metu,
Fugiente Fauno. Sic decet: miſeros juvant

Lamenta. Misero cuncta labescant Tito.
Roselina, flendum est. Flere te nostros decet,
Roselina, casus. Largus ora proluat
Lachrymis obortis imber, & tuas bibat
Thusca unda guttas. Perge, Natorum optime,
Sic perge: sequimur; perge, tota casibus
Immersa nostris Roma, longo fluctuans
Fletu natabit. Laudo, Marce. Comprime,
Roselina, voces: sylva nobiscum gemit.
Mar. Decus Quiritum! vidit hic dies tuos,
Sed vidit, eheu! nec videt moestus tuos
Dies triumphos. Tota gaudens Curia,
Totum Tribunal, omnis Imperii locus
Plausu sonabat. Tot Senatorum frequens
Ubi turba? Moestam inglorius vitam trahis.
Hæc lux beatum fecit, hęc miserum facit.
Tit. Vultum serenat risus. *Mar.* In medijs malis?
Tit. Vultum serenat risus, & quatit ilia:
Expressit omnes moeror infœlix aquas,
Arentque duri, fonte siccato, sinus.
Vindicta flammas subdit, & rabidam coquit
Calida ira mentem. Ferveo. Troja ignibus,
Atque Æthna nostris cedit. Haud superest liquor.
Mar. Nunc, nunc Tito est opus; tuum nunc imparem
Animum malo resume. *Tit.* Perge, quid manes?
Nugamur. insta. Quis rapit Marcum metus?
Cur est canendum? quale responsum refert?
Audimus ursam; sylva nutanti gravis
Fago intremiscit. Nata, quid narras Patri?
Sat est, abunde est: Audio vocem, audio;
Roselina loquitur. *Mar.* Magne Dux, nimium furis.
Tit. Quis ille? Titus, an alius? incessu est Titus.
Gradamarde, sequimur; nemo te eripiet mihi.
Claudille, eundum est: morte prensamus Styga.
Dimitte charum (Fratris hæc Conjunx tui est)
Melane, Patrem. Flere cur, Aran, negas?
Sed ora pandit. Spectra, furiarum cohors,

Quæ ſpectra cerno ? fallit aſpectum minax,
Et volucris Umbra. Phœbus occultat caput,
Atriſque pavidum nubibus condit jubar.
Luc. Pater intuere Lucium. *Tit.* Nectis moras ?
Comitare Patrem: Totus expectat Titum
Et te Senatus. Imperator impias
Exercet artes impius. Viduæ cadunt;
Viduata multis Roma luget Civibus;
Pupillus inſons Cæſari exuit cutem,
Ornatque diras carne pupillà dapes.
Stat ſtructa menſa. Cranium calicem facit;
Cruór falernum, ſicca formidabilem
Dant oſſa ſedem; fulget oſtro & murice
Meliore pellis; ille carnibus ſatur,
Plenus cruore, ventre diſtento ſedet.
Luc. Quis ille rabidus mentis effrenæ furor?
Tit. Procul hinc, abeſte hinc: ebrioſus huc gradu
Incedit alto Cęſar, & vorat meos,
Cruentus ore, dente torvus Filios.
Mar. Quo tendis amens? vince dementem impetum.
Tit. Quis latitat illic? me petit. Tegite Titum;
Tegite innocentem: me Tribunal faſcibus,
Tenetque Tortor implicatum funibus.
Ignoſce Cæſar; quis negat veniam Tito?
Quid, Phœbe, dormis? audio murmur. Tace;
Thamera, tacendum eſt. Voce, ſed quâ neſcio,
Pulſat quis aures. *Mar.* Cuncta patienter feras;
Parva ultionis, quæ ſequetur, eſt mora.
Tu nuper Orbis Tutor; & Viduis Pater;
Tu murus Urbi, columen afflictis eras;
Cocles in armis; Myſta legum; & Curiæ
Vox una: nunc everſa mens ſordet malis.
Tit. O ſortem acerbam! mortis invenio viam,
Aut facio. *Luc.* Ferrum comprime, & fræna impetum.
Tit. Sic, ſic agendum eſt. Nata miſcebit meo
Lachrymas cruore. *Mar.* Pone dementes minas,
Ferrumque Fratri trade, Frater. *Tit.* Inſolens

Exundat ira ; & omnibus læsus dolor
Intentat, & minatur, & parat necem.
Mar. Nimium ira sævit. *Tit.* Molle cor mortem timet.
Mar. It cautiore, quisquis est sapiens, viâ.
Tit. Sed vindicanti nulla difficilis via est
Mar. Deus æquitatem fulcit, & miseros juvat.
Tit. Sero innocentes audit, & miseros Deus.
Mar. Insanienti Nauta terretur Noto,
Cum jam dehiscens Pontus, in preceps rapit,
Hauritque Amicum. Plena res periculi est.
Tit. Nunquam timendum est Fortibus. Loquitur meo
Vlysses ore, & pectori dolum ingerit,
Dolumque firmat robur, & manum dolus.
Luc. Dubitasne ? Fratri Frater auxilium suo
Opemque debet. *Mar.* Metuo fortunæ aleam.
Luc. Sed, crede, nobis illa fœlici cadet
Firmata casu : Militum favent greges,
Et Imperantem castra defendunt Titum.
Coacta ferro & ignibus, discet mihi
Parere Roma. Sponte sed pandet Viro
Matrona portas. *Mar.* Perge ; quo ducis, sequor.
Tit. Quod pollicemur facile, non debet dies
Differre longus : certa promissis solet
Sese obligare jurejurando fides.
Mar. Quid machinaris ? *Luc.* Scribit. *Tit.* Expressit manus
Concepta, quæ jurabimus, verba. *Mar.* Approbo.
Tit. Sic scelere dignum Cæsari impendens malum,
Evertet omnem sedis augustę domum.
Mar. Non temperari facile, nec reprimi potest
Vindicta fœlix, cujus infectæ semel
Vecors libido est. *Tit.* Strictus ensis audiat,
Certa obstinatus verba quę jurat dolor.
Mar. Adsum paratus, perge : nulla in me mora est.

Vmbra

Vmbræ Claudil. & Gradamard.

T. M. L. Fidem obligamus. *Vmb.* Obligamus. *Tit.* Montibus
Echo repellit verba; concedam huc parum.
T. M. L. Fidem obliga. *Vmb.* Fidem obliga. *Tit.* Quæ vox redit?
Mar. Reperio nullum. *Tit.* Melius isthuc ibimus.
T. M. L. Fidem Obligamus. *Vmb.* Obligamus. *Luc.* Quis sonus
Resultat? *Tit.* Aures pepulit infœlix meas
Vox Filiorum. Petite, Nati; poscite:
Stamus parati. *Vmb.* Vltionem poscimus.
Tit. Ea jam parata est. Edite Authores mali.
Ruet ira in hostes. *Mar.* Teste juremus Polo.
T. M. L. Fidem obligamus, teste Cœlo, mutuam;
Ita quod minari fulmen & tonitru potest,
Atroque solvant; Roma nisi fractis ruat
Eversa tectis. *Tit.* Non fero ulterius moram:
Stat ire contra. Cęsar hoc ferro cadet.
Luc. Quid nunc agendum est? quodve consilium peto?
Tit. Dabit ira vires, & ministrabit furor
Gladios dolori. Tu mane. Nos tendimus
Festini in Vrbem; principes nobis Viros,
Cumque expeditâ mittite heroes manu,
Sole occidente. Si cruentandæ modum
Cædis sequuntur, litteris cuncta audies.
Luc. Tu, Genitor, omnem dirige incœpti viam:
Nos te sequemur. Fata si volunt, Pater
Populo imperabit, postque Patrem Lucius.

Lucius. Quatuor Duces.

Aptate forti Principes, ferrum manu,
Sævamque galeam; leva se clypeo ingerat.
Properate eundi est tempus: expectat Pater.

 Aran,

Aran, Lucius, Quiro, Demetrius, Quatuor Duces.

Aran. QUem Virgo vultum, verba quæ vestro tulit
Vexata stupro? *Luc.* Fiat hinc alio gradus.
Aran. Quid reticet Heros? *Luc.* Gotthiæ Ducem vides?
Dem. Per me modestus Virginis cecidit pudor.
Quir. Lacerata per me lingua sanguinem expuit.
Dem. Ego rubefactas ipse præcidi manus,
Quir. Quiro nitentes sanguine infecit genas.
Aran. Vera indicatis? *Quiro.* Vera (per Deum) indico.
Aran. Et approbatis, quodquod incipiam, scelus?
Quiro. Quid ista dubitas? facta jam, & solita expetis.
Dem. Quâ mente jussum fortis intulerim stuprum,
Frater loquatur. Quodquod aggrederis nefas
Sequar obstinatus. Concidet tali modo
Jam jam cadentis dubia majestas Titi.
Luc. Petamus hostes: ira non patitur moras.
Aran. Quid hoc? quis in nos involat? *Luc.* Tuæ Arbiter,
Hostisque vitæ. *Aran.* Nunc agite; necessitas
Addet lacertos. *Luc.* Tela victus exue.
Aran. Hic, ecce, vitæ murus, & votum meę.
Luc. Scelerate, cunctos pande facinorum modos.
Aran. Quod poscis, edam. *Luc.* Vitia narra bis malæ
Horrenda vitę? facta, quæ damnat pudor?
Aran. Cædes cruentę, & ira, & impietas furens,
Collecta vitia, per tot annorum gradus,
Mea sunt; manebunt. Quid sacrâ stuprum in domo
Vitium que referam? non stat à nostris malis
Immune templum; funera, & diras neces
Nece cumulavi; concidit nostro Parens
Invisa ferro; pressit Infantes gravi
Mea dextra lapsu; Vacca sensit incitum
Devota amorem; Frater invisus ruit
Discerptus ense; Conjugi mœstæ pudor
Et vita rapta est; Matris aspersit genas

(Memi-

(Meminisse gestit animus) Infantis cruor.
In Æde gelidi stans superbificâ soli
Imago colitur nostra; & insigne exhibens
Lata ora marmor, Carmen hoc servat meum:
Impietas impune ruat; nulla, Improbe, pœna est:
Intereunt parili corpus & Umbra modo.
Sic vixit Aran; sic meis captus dolis
Sua concitatus fata deplorat Titus.
Luc. Quis me retardat? dextra quid cessat mea
A cęde M nstri? *Aran.* Pectus impellit furor,
Vindicta dextram; quoque nil metuat manus,
Armat furorem luxus, & vis, & nefas.
Luc. Horrenda memoras. Scelera dedisces malo
Narrare domitus. Sæva Styx, & Inferi
Desiderato Te cruore nutriunt.
Aran. Si Styx furores, si facit Pluto meos,
Vexata nostris Roma sæpe manibus,
Metuet peremptum. Terra Saturni graves
Horrebit Umbras, & dabit pœnas Quiris.
Luc. Abripite properè gentis Ausoniæ luem:
Accipiat istum supplicem, & vinctum Pater.

Chorus Fœminarum.

ROma, fęx Thracum, rigidique sedes
Insolens Parthi, domus Impiorum,
Nutrit immiti gremio Tyrannos.
Occidunt primis Juvenes in annis,
Flos Juventutis, columen Quiritum,
Spes Patris, murus patriæ, Latini
Gloria belli.
An potest pleno bibere ore justum
Sanguinem tellus? an & innocentem
Lambit [invitis Superis] cruorem
Dira crudelis rabies catastæ?
Si suos nunquam scelus, & libido
Armet Authores, vacuum Tribunal,

Car-

Carcer & dempto ſileat tumultu.
Nec Reis Judex ſua jura dicat.
Hic liquet virtus, ubi culpa damnat
Criminis cauſam; ſed iniquus error
Cæſaris mentes hebetat, fovetque.
Scimus: hac Vitam ratione Noſtris
Credidit fatum; ſed abominandâ
Ire ſub Manes nece, non volebat.
Morte quâ lucem Juvenis reliquit?
Veſtrum, dixit, pectus an ignis
Acrior urit, quam qui ſaxa
Vomit Æthneo furibunda ſpecu?
Si nos petimur, petimur tuto;
Pereat corpus, bibat effuſum
Terra cruorem.
Cadet inſonti victima culpâ;
Nec fraternâ Fratres dextrâ
Cicidere ſuſ. Quod-ſi Veſtam
Maculet noſtro ſanguine Cæſar;
Repetet, repetet vindicta necem.
Frangitur irâ, ruit in furias,
Cum verus amor videt Innocuos
Impune mori.
Bene ſit Patriæ; bene ſit Cunctis.
Mox ſua prono corpora vultu,
Mortem extenſâ cervice manens,
Sub Carnificis trepidi dextram
Moritura jacit.
Datus in gyrum gladius colla
Recidiva ferit: cruor emiſſo
Flumine triſtem maculabat humum.
Ciet ingentes Sponſa dolores;
Tegit abſciſſos floribus artus.
Et dum Sponſum lachrymans tractat,
Cadit in medium frigida truncum.
Gemmatis pariter ſcyphis,
Permiſtæ Maribus Nurus,

Fuſum

Fuſum promite ſanguinem.
O ſanguis pretioſior!
Fuſum promite ſanguinem;
Æſtivis ſimilem roſis;
Queis Sponſæ decet Occiput
Velari, & laceras genas.
Quot crevere roſaria!
Quot ſubter tumulo novos
Eduxit frutices cruor!
Per te ſidonium licet
Oſtrum deſpicere: irrigat
Tellurem tibi, purpurâ
Quâ purpura pulchrior.
Fas ſit tingere nobili
Noſtram ſindona ſanguine.

ACTUS QUARTUS.

Titus, Capita Pol. & Melan. Umbræ
Claudil. & Gradamard.

Claud. ANdronice. *Tit.* Gelidus oſſa terror concutit.
Grad. Andronice. *Tit.* Gelidus oſſa terror concutit.
Claud. Quis te retardat? quidve vindictam trahis?
Tit. Quos cerno manes? *Grad.* Umbra Natorum ambulat.
Tit. Quo, Nati, abitis? horreo; ſtupeo; coma
Terrore ſubito ſudat. Ecquid quęritis?
Eloquere Patri; fare vindictæ modum.
Pol.Cap. Quem nulla ſatiat pœna. *Tit.* Sed vindex quibus
Minatur ira? *Mel.* Fraudibus quorum ſalus
Decuſque noſtræ ſtyrpis everſum jacet.
Tit. Quis Architector? *Pol.* Qui Gothis ſe Principem
Mentitur Aran. Tit. Peſsime, extinctus cades;
Nec vindicantem liber effugies Titum.

 Marcus

Marcus, Ascanius, Titus.

Mar. QUid hæret animus Frater? aut quid pectore
Meditaris alto? Frater ingenue solet
Patere Fratri. *Ascan.* Sequitur à tergo metus
Properantis Amitę; sequitur; eripiet librum.
Teneatur; instat; impeditam contine.
Tit. Nihil est pericli; ne time. Quid vis, legam?
Mea Roselina, loquere; num quicquam Patri
Habes videndum? *Mar.* Mœsta principium notat.

Titus legit.

Iamque iter effectum est: jamque in sua littora fessis.
Puppibus exierant: cum Rex Pandione natam
Instabula alta trahit, sylvis obscura vetustis.
Atque ibi pallentem, trepidamque, & cuncta timentem,
Et jam cum lachrymis ubi sit Germana rogantem.
Includit: fassusque nefas, & Virginem, & unam
Vi superat; frustra clamato sæpe Parente,
Sæpe Sorore suâ, magnis super omnia Divis.

Rozelina Tito librum è manibus excutit.

Tit. TEmerata Gnata est? castus interiit pudor?
Et rupta Zona est? *Mar.* Annuens misera, annuens
Stuprum fatetur. Proh dolor? quo labimur?
Quis innocentes crimine aspersit sinus?
Tit. Temerata Gnata est? castus interiit pudor?
Et rupta Zona est? misera, quot luges malis!
Excisa diro lingua ferro conticet;
Statque mutilatis Virgo mœsta brachiis;
Et rupta Zona est. Quis furor mentes agit?
Mar. Cognata, posses sceleris indicium tui,
Proferre vocem lingua si sciret, dare?
Accede, Marcum disce monstrantem sequi,

Præ-

Præeunte baculo. Nomen hic vides meum;
Imitare noſtras, ſi potes, baculo notas:
Sic vindicatum pectus explebit nefas.
Tit. Sic ipſe forti crimen ulciſcar manu.
Mar. Baculum ore fræna; dirige ambobus ſimul
Mutilata truncis: verba diſtinctè explica.

Titus legit.

Tit. *Thamerâ incitante, & incitante Adultero*
Ferox pudorem rapuit, & Zonam mihi
Cum Fatre Quiro. Peſsime ardor, impię
Veſana rabies mentis! infandum ſtuprum!
Miſeranda Virgo! *Mar.* Notus eſt Aucthor mali.
Tit. *Thamerâ incitante, & incitante Adultero*
Ferox pudorem rapuit, & Zonam mihi
Cum Fatre Quiro. Peſsime ardor! impiæ
Veſana rabies mentis! infandum ſtuprum!
Miſeranda Virgo! *Mar.* Præparetur ultio.
Tit. *Thamerâ incitante, & incitante Adultero*
Ferox pudorem rapuit, & Zonam mihi
Cum Fratre Quiro. Peſsime ardor! impiæ
Veſana rabies mentis! infandum ſtuprum!
Miſeranda Virgo! *Aſcan.* Quis tuos movet dolor,
Optime Ave, ſenſus? interemptus occidet,
Optime Ave, noſtrâ, ſi cupis, Latro manu.
Tit. Animoſe, tantas non capis vires Puer.
Aſcan. Profecto capiam; non timet Titi Nepos,
Nec adhuc timebit. Gemina criſtati caput
Angues ferebant ora, quos contra obvius
Reptavit infans Hercules: ſed erigit
Me major ætas: capite criſtato nitet
Vertex ſuperbus; nec tegunt cunæ ſuum
Nutrixve Alumnum. *Tit.* Difficultas obruet.
Aſcan. Surgentis ætas luſtra jam complet duo.
Promiſit enſem nuper, atque equos Pater.
Mucrone cinctus gradiar, & generoſo eques

Vehar

Vehar caballo, si, quem Alexander legit,
Lego ipse liberum. Tradite huc gladium; cadet
Transfixus ense Latro. *Tit.* Vix trucem feras
Vultum Tyranni. *Ascan.* Credis Ascanium metu
Pallescere ullo? magna mens audet Deos
Affari ad aras. *Tit.* Clara progenies Titi!
Magnanime, magno nate Lucio, Nepos,
Romana tandem sceptra regali potens
Gestabis Aulâ; jura tot populis dabis,
Victasque mittes sub tuum gentes jugum.
Mar. Ego hinc recedo; miles expectat meus.
Tit. Ego certiorem facio scriptis Lucium.

Thamera, Titus, Quiro, Demetrius.

Tham. ANdronice. *Tit.* Quis me? *Tham.* Injuriæ vindex tuæ
Atro silentem nubilo liqui domum.
Tit. Effare nomen. *Tham.* Nomen an quæris meum?
Vindicta dicor, Inferis vetus Incola
Immersa terris. *Tit.* Ipsa Thamera est, audio,,
Comitata utroque Filio. Ingenio est opus.
Optata salve noctis infernæ Dea;
Ter ampliusque, grande Nympharum decus,
Mea Sponsa, salve; liceat amplexu frui.
Tham. Recede; torvo territat vultu Procos
Horrenda facies. *Tit.* Quisquis aspectat tuos,
Formosa, vultus; victus & fractus cadit
Amore tali. Pectus exanimat decor.
Ferus est cruento corde, qui tuas nequit
Sentire flammas: qui tamen sentit, potest
Audax videri. Forma me vinctum tenet.
Ignosce nostris (insolescunt) ignibus.
Tham. Te flamma torquet. *Tit.* Torquet & Deos amor,
Thracesque duros. Alma cunctis imperat
Cytherea terris; nec suis quicquam sinit
Immune telis. *Tham.* Cana sed tuos domat
Ignes senectus. *Tit.* Lustra bis numerans duo

Juvenilis ętas, robore haud parvo tumet.
Succurre amori: sentio! urit, sentio!
Et ardet intus. Oris optati decor;
Et pulchra facies, labra, quæ ferunt rosas;
Collumque mille lenius; multo micans
Splendore vultus, quemque per flammas rapit.
Quam nigra Phœbo Luna, jam cedit tibi
Genitrix amoris (maximum Numen) Venus.
Tham. Sine fraude loqueris? *Tit.* Rapior heu! rapior miser!
Miserere Amantis. Laudat hic faciles genas;
Hic laudat oculos; hic serenatis Procus
Labris inhæret; splendidos alter sinus
Fovet & fovetur; occupat tandem furens
(Res grata Amanti) candidos dextra toros
Nudumque corpus. *Tham.* Siste ferventem impetum.
Tit. En sylva ab omni libera arbitrio vacat,
Satis apta flammis. *Quiro.* Spiritum turbat furor.
Dem. Contracta frons est. *Tit.* Pectus insanum coquit
Vindicta vecors. *Tham.* Scelera si duro studes
Punire letho, Lucius tandem gravi
Cadat ense fractus; videat ultrices manus.
Hic fraudis Aucthor, cædis & necis fuit
Malus Architector. Pertinax rursus furor
Armat Ministros; sceptra, si pateris, feret.
Tit. Agnosco fraudes. *Tham.* Territus Genitor stupet.
Tit. Formosa, toto splendidum mundo jubar,
Accede propius, Virgo; tu tantum nefas
Palam resolvis Concidat monstrum ferox,
Tollatur hostis; pereat; extinctos dolo
Fratres sequatur. *Tham.* Cæsarem totum trahet
Mors Bassiani. *Tit.* Siste; nostrum sentiet
Homicida ferrum. *Tham.* Quærit hanc Thamera viam.
Tit. Mihi mors paratur; repetet Aucthores scelus;
Morientur hostes. Cæsari tantum nefas
Thameræque totum fraudis exponam modum.
Tham. Ipsa indicabo. *Tit.* Siste, quo properas, fugam?
Mea vita, siste: Cæsar incensum geret

Amore subito pectus, & Venere novâ.

Tham. Meus iste labor est, aggredi tantum Ducem.
Et concitatas flectere, ut volo, faces:
Modo me Leonem; jam cruentatum vides
Sævire Taurum; sylva jam; nunc sum lapis;
Modo juga montis; conciti quondam freti
Assumo faciem; flamma post tempus placet,
Inimica ponto. *Tit.* Perfer, omnia indica.
I, tende ad Aulam; Cæsar abripiat moras,
Thameraque pergat. Magna consilia affero.

Tham. Propere volamus. *Tit.* Sed tamen maneant tuæ
Mecum, oro, comites: ira sic crescet, cupis
Si sola fugere. *Tham.* Vota succedunt mea:
Juvat videre capita Natorum omnium.

Tit. Truculenta Meretrix, vade; lucescet dies,
Quo sæva mandes ore funesta Tuos.
Huc, huc, Philippe, Marce, quid cessas? veni;
Propera, Camille. *Quiro.* Comprimas vocem, rogo.

Tit. Ubi est cohors? ubi illa Famulorum manus?
Celerate cuncti. Verba nequicquam fero?

Marcus, Titus, Quiro, Demetrius, Tacitus, Philippus, Camillus.

Mar. QUid, Frater, agitas; quid novi est? *Tit.* Quos tu vides?
Mar. Utrumque Thameræ filium. *Tit.* Erras; non vides.
Mar. Profecto uterque est. *Tit.* Errat acies luminum.
Mar. Vidi omne; uterque est. *Tit.* Lingua quo titubat sono?
Hæc vindicantem Numina sequuntur Deam.
Mar. Vidi, ipse vidi: Mater huc ibat suis
Comitata Natis. Ponite angues, ponite
Stygios amictus: nulla fraus captos teget.
Tit. Quin nunc in undas forma mutato redit
Conversa vultu? quin trucem facitis bovem?
Rapidoque nostras igne decipitis manus?
Dem. Miserere nostri. *Tit.* Filiam nemo audiit
Frustra rogantem. Membra lacerato traham

Convulſa naſo; quicquid & Viros facit
Cultro reſcindam; ſciſſa diſruptos cutis
Nudabit artus; toſtaque igne corpora
Meretrix vorabit Mater; ebria impio
Mater cruore. *Quiro.* Suaſor atque Author mali
Eſt vnus Aran. *Tit.* Vna mentis impulit
Rabies volentes. *Mar.* Perge, non patitur moras
Vindicta; perge. Trepida quid ceſſat manus?
Tit. Ferte huc, Miniſtri, ferte pelvem. Quid manes,
Roſelina, quid ſtas? ore funeſtum nefas
Vlciſcere audax; pectus atrox dentibus
Lacera cruentis; expue in faciem hoſtium
Cor ſemivivum. Accede Latro; non fugis;
Fratremque Frater ſequere ſupplicio pari.
Inimica membra! peſſimi Aucthores mali,
Sic poſt Meorum funera exincti jacent.

Nuntius, Titus, Marcus.

Nunt. BEne eſt; triumpha; captus eſt Aran, Tite.
Tit. Quis coepit hoſtem? *Nunt.* Lucius. *Tit.* Dignas feret
Pro ſcelere pœnas. Quo ſedet captus loco?
Nunt. Claudit latentem currus, & tectum vehit.
Tit. Sic nulla monſtrum dextera eripiet mihi.
Addam, ſalutis quotquot hoſtes ſunt meæ;
Addam Senatum, & Curiam cum faſcibus,
Mar. Bene ominamur. Fata quo cadunt, ſequar.
Tit. Tentare oportet: jacta fœlix alea eſt.

Chorus Puellarum.

QUid eſt? ſtuprata luges

Nec ſanguinem, manuſque,
Linguamque ſuſtuliſſet,
Si turpiore frontem
Creaſſe iniqua cultu
Natura norat. Omni
Dolor dolore major!
Genas rubente pingit
Auro pyropus; ardet
Mens intus, & dolore
Tabeſcit ęgra Virgo.
Sed pœna data eſt: pater irato
Fervidus æſtu, fregit ſurdo
Dira Latroni corpora ferro.
Viſcera lento torrenda foco
Tranſilit ignis; flamma medullas
Lambit; ahenis durus verubus
Muſculus ardet, fibræque gemunt.
Titus immoto pectore conſtat.
Sero queritur poſt facta dolor.
Atræo pavidæ more ſubordinat
Matri dextra dapes; lancinat ilia,
In ventrem quod edax dentibus ingerit.
Non unquam proprio ſanguine turpius
Quicquam Roma dedit lambere Matribus.
Aran, Romuleis noxa Nepotibus,
Flammę ſupplicium præparat ultimum,
Pœnam, & Carnifices, lentaque funera
Vexatus toties mille modis Titus.

ACTUS QUINTUS.

Saturninus, Thamera, Titus, Marcus, Lucius, mutatâ veſte.

Sat. AN Lucius per Baſsiani viſcera
Exegit enſem? Lucius ferro impio
Fratres necavit? Lucius pretium necis

Con-

Gondebat aurum? ſcripta conſperſit ſuâ
Trux ipſe dextrâ, cæde fraternâ Reos
Tactura Fratres? nunc cruorem Cæſaris
Sitit cruentus? & petit noſtri inſolens
Diadema regni? fata nos melius regant,
Serventque Romam! pereat, & mortem oppetat,
Quicunque noſtrum ſequitur inſidians caput.

Tham. Ignoſce Cæſar: Lucio veniam rogat
Regina & Uxor. *Tit.* Ore ſed tantum rogas,
Fictoque vultu, ſanguinis ſitiens mei,
Obſcęna Pellex. *Tham.* Verba quæ loquitur Pater?

Tit. Meditatur iras pectus, & pœnam parat.

Luc. Vive Imperator; vive magni Cæſaris
Nova nupta; vivat proſper ac fœlix Titus.

Tit. Quid nuncii affers? Lucius quove in ſtatu eſt?

Luc. Intemperantem hæc dextra fudit ſpiritum.

Sat. Ergo eſt peremptus? *Luc.* Ecce conſperſum caput.
Hic iſte vertex vertici infœſtus tuo.

Sat. Seriem ede mortis. *Luc.* Inter amplexus jacet
Hoc enſe ſtratus; juſſa mandantis Titi
Volens ſequebar, arbitros mittens procul.

Sat. Feſtos Nerone Roma quondam mortuo
Vidit triumphos? læta nunc eadem ſonet.

Tham. Poſt interemptos dira Patri Filios
Parata mors eſt; Cæſar ipſe jam labat.

Tit. Sceleſte, magnis invidebat impotens
Sceptris poteſtas? ſemper audies tuæ
Deſertor Urbis; Proditor Patriæ, & Patris.
Fratrum Tyranne, & Carnifex, potuit pium
Cognatus enſis ſorbilare ſanguinem?
Ecce hæc petebant ora vitam Cæſaris,
Patris cruorem. *Mar.* Tollite inviſum caput:
Satiata pœna eſt. Cęſarem expectant dapes.

Adesse Natos; nulla pars prolis tuæ
Tibi subtrahetur. Ora, quæ exoptas, dabo,
Prolesque Matrem tota complebit suam.
Satiaberis, ne metue. Pergat interim
Ornare nostras turba saltatrix dapes.
Sat. Delectat oculos saltus, & linguam cibus.
Tit. Regina fœlix, poculum infuso cape
Gentile Baccho, Conjugis quondam meę
Sollenne donum, cum sacros coleret dies.

Vmbræ Quironis, & Demetrii.

Tham. CApio, quod offeris. Iusta solvam Lucio.
Prius at paternis vina libenter Deis;
Tunc hauriantur. Sed quid hoc? non vult manus
Parere; crescit pondus, & dextram gravat.
Admotus ipsis Bacchus á labris fugit,
Circaque rictus, ore decepto, effluit.
En ipsa trepido mensa subsiliit solo.
Sat. Mea Lux, quid extimescis? *Tham.* Ignis occidit.
Quid hoc? magis magisque concussi labant
Convexa Cœli, spissior densis coit
Caligo tenebris, noxque se in noctem abdiddit.
Tit. Regina, quid miraris? annuit Polus:
Gavisa nostro mensa gaudio salit,
Scelere apprehenso! O cælitum excelsissima,
Gothiæ Imperatrix, luctui satis datum est.
Mensam voluptas, festaque ornant gaudium.
Tham. Quis hic tumultus viscera exagitat mea?
Quid tremuit intus? sentio impatiens onus,
Meumque gemitu non meo pectus gemit;
Adeste Nati; Mater infœlix vocat.
Vnde obloquuntur? *Mar.* Sede Reginam loca;
Sedeat, quiescat. Redde jam Gnatos mihi.
Tit. Iam, jam videbis, comite Roselinâ, tuos
Venire Natos. *Mar.* Flebili accedit gradu,
Sat. Nitore præstans Virgo, Thameræ Filios

Nondum videmus? Quid? sine sonitu? taces?

Tit. Excisa lingua est, muta non profert sonum.

Sat. Quis sceleris Aucthor? *Tit.* Iste, qui stuprum simul,
Et vim paravit Virgini. *Sat.* Perijt pudor?

Tit. Cum voce utramque tristis abstulit manum
Zonamque durus hostis. *Sat.* An monstrum potes
Gestare tellus? quin ad infernam styga
Os pandis? *Tit.* Indignatur, & tantam pudet
Plutona belluam abripi ad dirum chaos.

Sat. Siccus nefandum Genitor adspicit scelus?

Tit. Dabit, ecce, pœnas: ense congrediar meo;
Et Gnata (ne supersit infœlix) cadet,
Cadente Patre. Morere, Roselina; interi
Desponsa Fratri Cæsaris; Sponsus tuis
Occurret umbris. Te Pater, patere, juvat.

Sat. Quo pergis amens? *Tit.* Ratio, quicquid est, jubet:
Hæc Bassianum sequitur; hanc ducet suam
Subter vireta & subter Elysium Procus.

Sat. Quis Zonam Adulter rapuit? *Tit.* Idem, qui meos
Impune Natos vertit & totam domum.

Sat. An Lucius is est? *Tit.* Scelera fecit omnia
Cum Fratre Quiro. *Sat.* Sistite huc mihi Reos.

Tit. Circumspice, & cognosce: non absunt procul,
Quos quæris, hostes. *Sat.* Quo latent timidi loco?

Tit. Attolle vultus. *Sat.* Tollo, sed video nihil.

Tit. Hic, Cæsar, hic sunt. Cernis Auctores mali?

Sat. Nil video, nil est. *Tit.* Filię hi Zonam, & decus
Rapuere Fratres. Ecquid agnoscis Tuos?

Tham. Quis indicavit? lingua nec manus valent.

Tit. Arena baculo scripta prodidit nefas.

Tham. Da membra Matri. *Tit.* Quicquid è Gnatis tuis
Superest habebis, quodque non superest, habes

Tham. An vera dicis? *Tit.* Liberi verè jacent.

Furore Tygris, parcere acceptę tamen
Scit placida proli. Vita tu quondam tuis;
Sed nunc sepulchrum triste, nunc bustum manes.
Sat. Vincite Famuli: vincula & mortem pati
Discat cruentus. *Tit.* Inclyti bello Duces,
Properate; ferro Cęsar inimicus cadat.
Tham. Hoc est, quod avida capere non potuit Parens.
Volvuntur intus viscera, & clausum nefas
Sine exitu luctatur, & quærit viam.
Da, trade ferrum, liberis viam dabo.
Consiste nequam; guttur illidet manus,
Aperi ense pectus. Liceat inhumatos mihi
Sepelire Natos. Jupiter, fulmen move;
Me pete; trisulco flammeam telo facem
Per pectus hoc transmitte. Si Natos Parens
Humare, & igni tradere extremo volo,
Ego sum cremanda. Tartarum & Cœlum voco;
Adeste flammæ. Fer, fer huc, Aran, opem.

Aran, Thamera, Saturninus, Titus, Marcus, Lucius.

Aran. CUi clamor Aran? *Tham.* Optime Aran Principum,
Rerum mearum columen, imperii decus,
Tuere captam: crimen intentat Titus,
Causamque cuncti, quod tulit, vocat mali
Thameramque innocentem; Filios misera meos,
Cognata membra, dentibus trivi insciis.
Stat Imperator victus auxilii impotens.
Aran. Ego machinator fraudis, & scelerum Artifex;
Me, me ordinante, dexteram scidit Pater.
Roselina stupro moeret; & Fratres jacent.
Iacetque fuso Bassianus sanguine.
Sat. Quæ digna tanto pœna statuetur malo?
Quis me juvabit? *Tit.* Aderit irato Titus.
Aran. Heu! mergor, uror. O dolor nimium ferox!
Succurre, pereo, pereo, Tite; supplex precor.

Sur-

Tit. Surdescit Ultor. *Aran.* Quis dabit flammæ modum?
Tit. Thamera imbre fletus. *Aran.* Solve me (veniam rogo)
Solve invocantem. *Tit.* Sera pœnitentia est,
Quam pœna vindex, & necis stimulat metus.
Aran. Miserere! solve me! *Tit.* Ira non audit preces.
Aran. Miserere; pœna tristis iram molliat.
Tit. Si temperata dextra, si modicus tibi
Furor fuisset; viveres. Qui terruit
Nos, & Quirites, premitur & patitur necem.
Aran. O flamma vehemens! O dolor! vehemens dolor!
Succumbo flammis. Parce, vel vitam eripe.
Tit. Prius medullas ignis, & carnes vorans
Depascat artus. *Aran.* Tristis Eumenidum cohors,
Ades vocanti. Parte ab omni jam tona,
Iaculare flammas Iuppiter, pereat tuis
Aran sagittis; minuat, ah! minuat meos
Fulmen dolores. Pereo! Pereo! Intercido!
Tit. Corpus per ignem similis Encelado rotat.
Sat. Jam vindicatum pectus exonerat nefas;
Exultat animus. *Tit.* Temperabo gaudium,
Jam morere, Meretrix; notus occurret statim
Venienti Adulter. *Sat.* Scelere pensandum est scelus;
I, sequere Sponsam. *Luc.* Cecidit, ah! cecidit Pater?
Ferro peremptus? præmium hoc sceleris cape.
Mar. Latas habenas Orbis, atque Urbis reget
Meliore fato Lucius. Lætus Quiris
Committit imperium tibi; & Patriæ salus
Sibi te Parentem poscit. Impleat forum
Rumore miles; fortis Ausonias cohors
Circumdet undas. Lætus occisum audiat
Populus Tyrannum. Cæsari auspicium novo
Felix precamur. Exulabit, & gemet